



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**MDCLXXXVII**

Tractatvs XXIV. De Eucharistia, in quantùm est sacrificium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

tinent potestatem consecrandi. Ratio est, quia talis potestas consistit in charactere, qui cum consistat in quadam consecratione, est indelebilis, ut dictum est quæst. 73. ideoque nunquam iteratur sacramentum imprimens characterem; sed qui habet potestatem consecrandi, potest validè consecrare; ergo sacerdos degradatus potest validè consecrare.

2. Opponit primo: in decret. 1. quæst. 1. cap. *quod quidam*, dicitur, quod sacerdos non habet potestatem consecrandi, licet habeat potestatem baptizandi; sed si non habet potestatem consecrandi, non consecrat validè; ergo &c.

Respondet illum canonem loqui solum inquisitiuè, non autem assertiuè, ut patet ex antecedentibus, & consequentibus.

3. Opponit secundo: qui aliquid dat, potest illud auferre; ergo episcopus, sicut per ordinationem dat potestatem consecrandi, sic per degradationem illam auferit.

Respondet, quod episcopus dat ut minister Dei, ideoque non potest auferre quod Deus dedit, iuxta illud Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet*.

4. Opponit tertio: si sacerdos per degradationem non amitteret potestatem consecrandi, sed solum executionem, cum hanc amittat etiam excommunicatus, nihil plus amitteret, quam excommunicatus.

Respondet, quod quia excommunicatio est medicinalis, per illam executio consecrandi amittitur non in perpetuum, sed ad tempus, ut corrigatur: at degradatis auferitur executio, quasi condemnatis in perpetuum.

QVÆSTIO CLXXXIX.

*Utrum liceat ab excommunicatis, vel hereticis, seu peccatoribus communionem recipere, vel eorum missam audire?*

S. Thom. quæst. 82. art. 9.

**R**espondet, quod quia hæretici, schismatici, excommunicati, & peccatores peccant, consecrando; qui autem communicat alteri in actione peccaminosa, peccat; ideo non licet communionem recipere à talibus, vel eorum missam audire, iuxta illud Ioan. 2. 10.

*Qui dixerit ei, scilicet hæretico, vale, communicat operibus illius malignis.* Est tamen quædam differentia, quam explicat per duas conclusiones. Prima est: non licet eucharistiam recipere ab hæreticis, schismaticis, & excommunicatis, vel eorum missam audire. Ratio est, quia iam per sententiam ecclesiæ privati sunt executione consecrandi, & ministrandi eucharistiam. Secunda est: licet audire missam, & accipere eucharistiam à peccatoribus, qui adhuc per sententiam ecclesiæ non sunt privati executione consecrandi. Ratio est, quia licet sint suspensi quoad se ab executione con-

Tom. III.

secrandi, non sunt per sententiam suspensi in ordine ad alios, ideoque potest expectari sententiæ ecclesiæ.

2. Opponit primo: Augustinus contra Petilianum, & refertur in decret. 1. quæst. 1. cap. *neque*, dicit: *Neque in homine bono, neque in malo, aliquis Dei refugiat sacramenta.*

Respondet, quod non refugimus sacramenta, sed veneramur, sed solum refugimus culpam indignè ministrantium.

3. Opponit secundo: corpus verum est figura corporis mystici; sed qui recipit sacramentum ab hæreticis, recipit corpus Christi verum; ergo recipit fructum, per quem coniungitur Christo mysticè.

Respondet, quod non recipit fructum, quia ponit impedimentum, communicando peccato indignè ministrantis.

4. Opponit tertio: multa peccata sunt grauiora fornicatione; ergo sicut non est prohibitum audire missas grauius peccatum, sic non debet esse prohibitum audire missas concubinarum, iuxta can. *Nullus*. dist. 13. *Nullus missam audiat sacerdotis, quem indubitanter concubinam nouit habere.*

Respondet, quod licet alia peccata sint grauiora, tamen fornicatio specialiter prohibita fuit sacerdotibus, quia ad eam homines sunt proniores, & ideo specialiter est prohibitum audire missas concubinariorum, quod tamen est intelligendum de notorijs, vel per sententiam, vel per confessionem in iure factam, vel quando peccatum nulla potest tergiversatione celeri.

5. Aduertit Caietanus disputationes, inuestigationes, & canones de participantibus in sacramentorum perceptione, & cæteris diuinis, cum excommunicatis, suspensis &c. hodie esse magna ex parte superuacaneos, propter decretum Concilij Constantiensis; quo concessum est omnibus Christianis communicare cum excommunicatis, exceptis duobus casibus, nimirum si fuerint nominatim denunciati, vel notoriè percusserint clericum &c. Aduertit rursus Vasquez, quod sicut in casu extremæ necessitatis licet accipere sacramentum pœnitentiæ ab hæretico, sic licet sumere eucharistiam, nisi eo facto videretur quis errorem sacerdotis approbare. Tunc enim non licet: & si quis ne accipiat, occidatur, erit martyr, ut S. Hermenegildus, teste S. Gregorio lib. 3. dial. cap. 31. & refertur canone *superueniente* 1. qu. 1. Artic. 10. quæst. 32. quærit S. Thomas, utrum sacerdoti liceat omnino à sacrificio cessare. Sed doctrinam huius articuli commodius examinabimus infra tract. 24. de eucharistia, in quantum est sacrificium qu. 210.

TRACTATUS XXIV.

*De Eucharistia, in quantum est sacrificium.*

Vu

QVAE.

## QVAESTIO CXG.

Quid, & quotuplex sit sacrificium?

1. **V**T agamus praesertim contra haereticos nostri temporis de eucharistia, in quantum est sacrificium, praemittere debemus aliqua de essentia sacrificij in genere.

Sacrificiū definiri potest: *Actus externus religionis, quo profiteamur Deum esse supremum dominū vitæ, & mortis, ac totius esse, & non esse, & in signum huius professionis offerimus illi aliquid sensibile, illud destruendo, vel immutando.* Genus igitur sacrificij est, vt sit actus externus religionis; differentia, per quam sacrificium differt ab alijs actibus religionis, & praesertim ab adoratione, & à simplici oblatione, est, quod adoratio est actus religionis, quo profiteamur supremam Dei excellentiam, & humilitatem nostram, & hanc internam professionem aliqua externa submissione significamus. Simplex oblatio est actus religionis, quo profiteamur supremum Dei dominium supra res omnes, & in signum huius professionis aliquid sensibile, tanquam quoddam tributum illi offerimus. Sacrificium est actus externus religionis, quo profiteamur Deum esse supremum dominum vitæ, & mortis, totius esse, ac non esse, & in signum huius professionis aliquid sensibile illi offerimus, illud destruentes, vel sensibilibus immutantes.

2. Inferitur primò, sacrificium soli Deo offerri posse, ac nulli alteri sine crimine idolatriæ. Ratio est, quia actus, quibus profiteamur aliquam excellentiam Dei veri nulli creaturæ communicabilem, soli Deo possunt exhiberi; sed sacrificium est actus, quo profiteamur eum, cui illud offerimus, esse iupremū dominum vitæ, & mortis, ac totius esse, & non esse, hoc autem est proprium Dei, ac nulli creaturæ communicabile; ergo &c.

3. Inferitur secundò male sacrificium definiri à Lutheranis ex Melanctone in confessione Augustana, articulo de missa: *Ceremonia, vel opus, quod nos Deo reddimus, vt illum honore afficiamus*; male etiam à quibusdam catholicis deniri: *oblato Deo facta, vel opus, per quod fit, vt sancta societate Deo adhaeramus*; quam definitionem attulerunt Gabriel lect. 83. in Canonem, & Alphonsus à Castro, verbo *Missa* haeresi secunda, nō longè à principio. Reijciuntur istæ definitiones. Primò enim verum sacrificium non potest offerri, nisi à sacerdote legitime ordinato; sed etiam non sacerdotes possunt Deo reddere aliquod opus, vt illum honore afficiant, & vt ei sancta societate adhaereant; possunt etiam Deo offerre aliqua dona, & oblationes; ergo non sufficit ad sacrificium propriè dictum, vt sit opus Deo redditum. Secundò de facto in ecclesia non potest licitè Deo offerri aliud sacrificium, quam eucharisticum; sed iuxta allatas definitiones possent Deo offerri alia sacrificia, quam eucharisticum; ergo &c. Videri possunt aliæ definitiones apud Vasquez disp. 220. cap. 2.

4. Obijciunt primò: Augustinus lib. 70. de Ciu. c. 6. dicit *Proinde verum sacrificium est omne opus, quod agitur, vt sancta societate adhaeramus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo vultemur beati esse possumus*; dixerat autem in fine capituli praecedentis, misericordiam esse verum sacrificium, idque probauerat ex illo *Officium Misericordiam volo, & non sacrificium*; ergo et Augustino omne opus bonum est sacrificium; ideoque castigatio corporis pro Deo assumpta non minus est propriè sacrificium, quam consecratio eucharistiae, vt fatetur Alphonsus à Castro.

Respondeo S. Augustinum loqui de sacrificio in latiori significatione. Nam *ly sacrificium verum*, nō idem significat, ac sacrificium proprium, sed solum significat sacrificium verè Deo gratum; eo pacto, quo Christus Ioan. 15. dicens: *Ego sum vitis vera*, non significauit se propriè esse vitem, sed solum se esse vitem modo quodam excellentiori, ac magis perfecto. Omnia igitur opera bona, iuxta phrasim Augustini sunt vera sacrificia, hoc est verè Deo grata, sed non sunt sacrificia propriè, & strictè dicta, de quibus modo agimus. Videri potest Bellarminus tom. 2. lib. 1. de Sacram. cap. 2.

5. Obijciunt secundò: oblatio, qua Melchisedech Gen. 14. obtulit panem, & vinum, fuit verum sacrificium, & ab ecclesia in canone missæ vocatur sacrificium; sed non legitur in Scriptura panem, & vinum fuisse destructa, vel immutata; ergo ad sacrificium nō requiritur, vt quæ offeruntur, destruantur, vel immutentur.

Respondeo, quod sicut Scriptura solum dicit Melchisedech obtulisse panem, & vinum, & tamen nos ex sensu communi Petrum, & Ecclesiæ dicimus eum obtulisse, non vt cumque, sed in sacrificium; sic licet Scriptura dicat solum Melchisedech obtulisse panem, & vinum, debemus censere non solum obtulisse, sed destruxisse, vel immutasse, prout requiritur ad sacrificium, puta comedendo aliquid panis, & bibendo aliquid vini, vt sic etiam expressius representaret sacrificium eucharisticum. Quod autem in omni sacrificio debeat dari aliqua destructio, vel immutatio rei oblatæ, docent Bellarminus tom. 2. lib. 1. de sacrificio, cap. 2. Vasquez disp. 220. cap. 2. Alanus lib. 2. de Euchar. cap. 3. Cardus de Lugo disp. 19. de Euchar. cap. 1. & alij communiter, & videtur esse expressa sententia S. Thomæ 2. 2. qu. 86. art. 1. vbi dicit per sacrificium fieri rem sacram, non quomodo cumque, sed consumendo illam in vnum sacram, quod inde fieri debet.

6. Sacrificium ratione formæ, & finis in lege veteri diuidebatur in holocaustum, hostiam pacificam, & hostiam pro peccato. Holocaustum erat sacrificium Deo oblatum pro laudem Dei, & in honorem supremæ maiestatis, & amorem summæ bonitatis, etiam si ab ea nihil expectamus gratia, vt ait Philo. In holocausto

victima cremabatur, excepta pelle, ad prote-  
standum nos esse totos Dei, & omnia ad diui-  
nam laudem esse referenda, ideoque vocatur  
holocaustum, quod græcè idem significat, ac  
latine totum crematum.

7. Hostia pacifica erat sacrificium Deo obla-  
tum pro beneficio obtinendo, vel in gratiarum actio-  
nem pro beneficio accepto. Ex hostijs pacificis  
siebant tres partes. Prima cremabatur: se-  
cunda erat sacerdotis: tertia offerentium, qui  
eam offerebant in loco sacro.

8. Hostia pro peccato erat sacrificium Deo  
oblatum ad obtinendam remissionem alicuius peccati,  
ex eaque siebant duæ partes, quarum prima  
cremabatur, secunda erat sacerdotis, ac ni-  
hil dabatur offerenti.

9. Præter hanc diuisionem, qua sacrificia  
vetera diuiduntur formaliter ratione finis,  
dantur aliæ diuisiones, qua diuiduntur ma-  
terialiter ratione materiæ. Alia enim erant  
creueta animalium, puta boum, pecudum,  
& quarumdam volucrum: alia erant increueta,  
præsertim farinæ, panis, & vini: ac per om-  
nia res oblatæ destruebantur, vel sensibilibiter  
immutabantur. Per cuncta hæc sacrificia fig-  
urabatur sacrificium, quo in lege noua im-  
molandus erat Christus, tum in sacrificium  
creuentum, quo Christus se obtulit Deo in  
cruce, primò vt holocaustum in honorem  
Dei; secundò vt hostiam pacificam pro gra-  
tia, & salute æterna nobis impetranda, & in-  
gratiarum actionem pro gratia, & salute æter-  
na nobis impetrata; tertio vt hostiam pro  
peccato Adami, & omnium hominum: tum  
in sacrificium increuentum sub speciebus pa-  
nis, & vini in eucharistia. Quia verò Deus  
omnia sacrificia legis veteris præcepit solum,  
& acceptauit vt figuræ sacrificij creuenti, vel  
increuenti, quo Christus erat suo tempore im-  
molandus, ideo Christus Apoc. 13. dicitur:  
*Agnus occisus ab origine mundi*: & instituto sa-  
crificio eucharistie, cessarunt, & prohibita sunt  
omnia alia sacrificia, vt potè quæ acceptaban-  
tur tantum vt figuræ sacrificij crucis, & Eu-  
charistie. Videri potest Bellarminus tom. 2.  
lib. primo de Missa, cap. 4.

### QVÆSTIO CXCI.

*Virum mors Christi in Cruce fuerit proprie  
dictum sacrificium?*

1. Certum est mortem Christi fuisse pro-  
priissimum sacrificium. Probat. Ex  
dictis enim quæst. 190. n. 1. sacrificium proprie  
dictum est actus externus religionis, quo quis  
profrens Deum vt supremum dominum vi-  
tæ, & mortis, in signum talis professionis of-  
fert illi aliquid sensibile, illud destruendo, vel  
sensibilibiter immutando; sed Christus profrens  
Deum vt supremum dominum vitæ, & mortis,  
in signum huius professionis obtulit  
seipsum, & suam vitam sensibilibiter; ergo

Tom. III.

mors Christi fuit propriissimum sacrificium  
creuentum, & Christus fuit propriissimus sa-  
cerdos, qui seipsum, & suam vitam in altari  
crucis immolauit.

2. Eadem igitur mors Christi, quæ vt illa-  
ra à Iudæis fuit sacrilegium, & Deicidium, vt  
à Christo, qui oblatus est, quia ipse voluit, vt di-  
citur Isa. 53. voluntariè, & liberè acceptata,  
fuit sacrificium Deo gratissimum. Et quia  
Christus se obtulit, tum in honorem Dei,  
tum vt nobis obtineret gratiam, & gloriam,  
& gratias ageret de gratia, & gloria nobis ob-  
tenta, tum vt obtineret remissionem pecca-  
torum Adami, & totius mundi, ideo se ob-  
tulit in holocaustum, & hostiam pacificam, &  
in hostiam pro peccato. Rursus alia sacrificia  
non fuerunt Deo grata ratione rei oblatæ, sed  
solum ratione fidei, & charitatis offerentium,  
& ratione Christi, qui per ea figurabatur. At  
sacrificium, quo Christus se obtulit, fuit Deo  
summe gratum etiam ratione rei oblatæ: si-  
quidem in eo Deus obtulit Deo vitam Dei.  
Videri potest Bellarminus lib. 1. de Missa,  
cap. 3.

### QVÆSTIO CXCH.

*Vnde dicatur Missa?*

1. VT examinemus, vtrum Christus in  
Missa immoletur, debemus examina-  
re, vnde dicatur Missa.

Genebrardus de Liturgia Apostolica,  
cap. 7. & alij existimarunt Missam dici à voce  
hebræa *Missach*, quæ Deuter. 1. 6. significat  
oblationem. Reijcitur hæc opinio à Bellar-  
mino lib. primo de Missa, alijsque communi-  
ter. Nam si nomen Missæ erat Hebræicum,  
retineretur etiam à Græcis, Syris, alijsque na-  
tionibus, quæ retinuerant alia nomina he-  
bræica, qualia sunt *Amen*, *Alleluia*, *Sabbaoth*,  
*Hosanna*, *Sabbatum*, *Pascha*; sed nullum huius  
nominis vestigium est apud antiquos Græcos,  
Syros, aliasque nationes; ergo &c. Eodem  
argumento reijciuntur, qui cum eodem Ge-  
nebrardo eodem libro cap. 3. dicunt Missam  
dici à voce Græca *Myesis*, quæ significat ini-  
tiationem, seu mysticam doctrinam, quæ per  
diuinam inspirationem percipitur in abdito  
mentis sine humano magistro. Nam si nomen  
Missæ esset Græcum, esset in vsu apud Græ-  
cos; sed non est in vsu apud Græcos antiquos,  
sed solum inuenitur aliquando apud aliquos  
Græcos recentiores, qui plura alia vocabula  
mutuarunt à Latinis; ergo &c.

2. Dicendum igitur cum Bellarmino lib.  
1. de Missa, cap. 1. Vasquez disp. 222. cap. 1.  
Cardinali Bona lib. 1. rerum liturgicarum  
cap. 1. alijsque communiter, Missam dici à  
verbo *mitto*, quia in ea post recitatum Euan-  
gelium dimittebantur catechumeni, & quia  
in fine dimittebatur populus vniuersus à dia-  
cono alta voce dicente: *Ite Missa est*, hoc est

V u 2

di.

dimissio est. Videri possunt Auctores citati, & præsertim Cardinalis Bonæ, qui plura testimonia antiquorum eruditè affert in confirmationem huius sententiæ.

### QVAESTIO CXCIH.

*Vtrum Christus in Missa vere immoletur, ac Deo in sacrificium offeratur?*

*S. Thom. qu. 83. art. 1.*

1. **L**utherus in forma Missæ, quam pro Ecclesia Vvitembergensi edidit, licet concedat veram, & realem Christi præsentiam in eucharistia, & admittat in missa preces quasdam Deo offerri, tamen negat Christum in missa Deo offerri in sacrificium, & asserit Christum sub speciebus panis, & vini à Deo dari, & offerri nobis, non autem à nobis, vel à sacerdote Deo offerri, & immolari, prout ad sacrificium requiritur. Ideo licet admittat aliqua eorum, quæ in missa dicuntur ante offertorium, tamen offertorium, & omnia, quæ significant oblationem, totumque canonem rejicit, vt impura. Multò magis negat Christum in missa immolari Calvini, & alij, qui negant realem Christi in eucharistia præsentiam. Videri potest Vasq. disp. 22. cap. 2.

2. De fide est, ac definitum in Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 1. Christum in Missa verè, & propriè in sacrificium offerri.

Quisq. probationibus, ex Scriptura, & Patribus, quæ videri possunt apud Bellarminum lib. 1. de Missa, cap. 6. & sequentibus, probatur primò. Est enim ita consentaneum lumini naturali, vt Deus honoretur aliquo sacrificio, vt nulla sit natio tam barbara, apud quam non sit vsus sacrificiorum; ergo inconueniens est, vt in lege noua Deo non offeratur vllum sacrificium; sed si Christum in missa non offerretur Deo vt verum, & proprium sacrificium, in lege noua nullum offerretur sacrificium; ergo &c. Probatur minor. In lege enim noua nulla Deo sacrificantur animalia; ergo solùm potest dubitari, vtrum Deo sacrificentur panis, & vinum, quæ in missa consumuntur, incensum, quod in Dei honorem crematur, & oleum, ac cera, quæ in luminariis consumuntur; sed nullum ex his Deo offertur in sacrificium; ergo si Christus non immolatur, nullum in lege noua Deo offertur sacrificium. Probatur assumptum. Vt enim aliquid offeratur Deo in sacrificium, non sufficit, vt consumatur, sed requiritur, vt offeratur Deo in signum professionis, quæ Deum proferimus vt supremum Dominum vitæ, & mortis, ac totius esse, & non esse; sed licet sacerdos consumat panem, & vinum, non consumit, vt ea consumptione profiteatur Deum esse dominum vitæ, & mortis, sed in signum huius professionis offert Chri-

stum, qui manet sub speciebus panis, & vini, ergo &c. Rursus non cremamus incensum, nec comburimus ceram, & oleum, vt eorum consumptione profiteamur Deum esse dominum vitæ, & mortis, sed solum, vt Deum honoremus odore incensæ, & luce luminarium; ergo &c.

3. Confirmatur: nam sacrificium soli Deo potest licitè offerri; sed honorem sufficit, & luminarium exhibemus non soli Deo, sed etiam sanctis, & sacris imaginibus, immo honorem sufficit exhibemus etiam hominibus viuentibus, & cadaueribus fidelium defunctorum; ergo in lege noua incensio thuris, & luminarium non sunt sacrificia, licet in lege veteri thymiana offerretur Deo in sacrificium.

4. Probatur secundò conclusio ex definitione sacrificij. Sacrificium enim ex dicto qu. 190. n. 1. Est actus externus, & interius religionis, quo proferimus Deum esse supremum Dominum vitæ, & mortis, & in signum huius professionis offerimus illi aliquid sensibile, illud destruendo, vel immutando; sed sacerdos in missa proferit Deum esse dominum vitæ, & mortis, & in signum huius professionis offert illi sub accidentibus sensibilibus panis, & vini, Christum in cruce immolatum, eumque moraliter destruit, constituendo sub speciebus panis, & vini, eiusque carnem manducando, & sanguinem bibendo, vt magis explicabitur quæ sequenti; ergo sacerdos in missa Christum immolat, siue offert in sacrificium.

5. Obijcit primò Lutherus in forma missæ, quam edidit pro Ecclesia Vvitembergensi. Christus sub speciebus eucharisticis à Deo datur, & offertur nobis; sed ad sacrificium requireretur, vt Christus à nobis, vel à sacerdote daretur, & offerretur Deo; ergo &c.

Respondeo, quod Deus in missa dat sacerdoti Christum vt victimam, quam sacerdos Deo offert in sacrificium, ac proinde et eo, quod Deus dat Christum sacerdoti, non inferitur, quod sacerdos non offerat Christum Deo in sacrificium.

6. Obijcit secundò Calvinus. Postquam oblatum est vnum sacrificium perfectissimum, & sufficientissimum, non sunt addenda alia sacrificia, nec illud amplius est iterandum; sed sacrificium cruentum, quo Christus fuit oblatum in cruce, fuit perfectissimum, & sufficientissimum, & insatiabilis ad imperandum nobis salutem, & remissionem peccatorum; ergo non sunt addenda alia sacrificia, nec illud est iterandum; sed si in missa offerretur sacrificium, semper iteraremus sacrificium Christi; ergo &c.

7. Confirmat primò: nam Paulus ad Hebr. 9. loquens de Christo, dicit: *Per primum sanguinem introiuit semel in sancta, æternam redemptionem inuenta;* ergo Christus semel tantum fuit sacrificatus; & quia illud sacrificium sufficit ad hoc, vt absolueret redemptionem, & introiret cum redemptis in sancta, hoc est

in cælum, non est amplius sacrificandum in eucharistia. Confirmatur secundo. Nam idem Apostolus cap. 10. eiusdem epistolæ dicit: *Vna oblatione consummatum est sanctificatio in sempiternum*, hoc est perfecit sanctificationem nostram pro tota æternitate; ergo quandoquidem Christus vna oblatione cruenta perfecit nostram sanctificationem, non debet amplius in eucharistia offerri. Confirmatur tertio. Nam Apostolus addit: *Vbi autem remissio, iam non est amplius oblatio pro peccato*; sed Christus per sacrificium cruentum obtinuit nobis remissionem omnium peccatorum; ergo non debet amplius in eucharistia offerri in sacrificium. Confirmatur quarto. Nam Christus Ioan. 19. in cruce dixit, *Consummatum est*, significans sacrificium crucis perfectam fuisse nostram redemptionem; ergo non est, cur rursus in eucharistia offeratur.

8. Respondeo, distingo maiorem: postquam oblatum est sacrificium perfectissimum, & sufficientissimum, non est addendum aliud sacrificium, quod non sit applicatiuum virtutis illius perfectissimi sacrificij, concedo; quod sit applicatiuum illius perfectissimi sacrificij, nego: distingo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Sicut in ordine physico, licet Deus per suam omnipotentiam sit causa perfectissima omnium effectuum, tamen voluit, vt eadem omnipotentia applicaretur ad faciendos effectus particulares per causas secundas particulares, puta ad faciendam lactucam per semen lactucæ &c. sic licet in ordine morali sacrificium cruentum crucis sit causa meritoria sufficientissima nostræ sanctificationis, & salutis, tamen Deus voluit, vt virtus mortis Christi applicaretur nobis per causas particulares, puta per sacramenta. Et quia conueniens etiam fuit, vt in lege noua offerretur aliquod sacrificium, ideo voluit, vt offerretur sacrificium eucharisticum, per quod Christus ita offerretur, vt non de nouo mereatur, siquidem sufficientissime meritis est per sacrificium cruentum, sed solum applicetur virtus meritoria sacrificij cruenti. Quo pacto applicatio, qua merita Christi applicantur nobis per sacrificium missæ, differat ab applicatione, qua applicantur per sacramenta, explicabitur inferius qu. 208.

9. Ad confirmationem ex Paulo respondeo, quod discursus Apostoli probat sacrificium eucharisticum esse sæpius iterandum. Docet enim Apostolus, quod quia sacrificia legis Mosaicæ non merebantur nobis remissionem peccatorum, & sanctificationem, sed solum figurabāt sacrificium crucis, per quod Christus erat nobis perfectissime meritorus redemptionem, & sanctificationem, ideo debuerunt esse multa, & sæpius iterari, vt multis modis, ac sæpius figurarent sacrificium crucis. E conuerso quia sacrificium cruentum crucis, vt potè infiniti valoris, perfectissime meruit nobis redemptionem, & sanctificationem, illo oblato, non debuit offerri

aliud sacrificium ad merendum, nec illud idem debuit iterari, ac proinde Christus non debuit rursus sacrificio incruento immolari; sed sacrificium eucharisticum, vt diximus num. 7. est solum sacrificium commemoratiuum, & applicatiuum sacrificij cruenti; ergo debet sæpius iterari, vt sicut in lege Mosaicæ quotidie offerrentur sacrificia figuratiua sacrificij cruenti post offerendi, sic in lege Evangelicæ quotidie offerantur sacrificia commemoratiua, & applicatiua sacrificij cruenti iam oblato, iuxta præceptum Christi Apostolis impositum, postquam eucharisticam instituit Luca 22. *Hoc facite in meam commemorationem*.

10. Ad confirmationem ex Io. 19. dicendum, quod Christus dicens *consummatum est*, significauit perfecta esse omnia, quæ iuxta diuinam ordinationem, & vaticinia prophetarum requirebantur ad merendam nostram redemptionem, & sanctificationem, licet vsque ad finem mundi essent facienda ea, quæ spectant ad applicandum meritum redemptionis per sacramenta, & per sacrificium incruentum missæ. Videri potest Valquez disp. 222. cap. 4.

### Q V A E S T I O C X C I V .

*In quam actione missæ consistat ratio sacrificij?*

1. **D**iximus Christum in missa verè sacrificari, & immolari. Quæritur, per quam actionem missæ sacrificetur, & immoletur?

Prima sententia Scoti in 4. dist. 13. qu. 2. docet sacrificium non consistere in consecratione, sed in oblatione, per quam offeruntur hostia, & calix vini etiam ante consecrationem. *Offeritur enim*, inquit Scotus, *hostia non consecrata, & tunc est sacrificium, non sacramentum: sicut eucharistia consecrata conseruata in Pixeride est sacramentum, licet non ut ibi sit sacrificium*.

2. Secunda sententia Gabrielis in 4. dist. 13. qu. 1. art. 3. dub. 2. quæ tribuitur etiam Clitovæo lib. 2. contra Lutherum, cap. 16. Henrico VIII. Regi Angliæ in Assertionibus fidei contra Lutherum, & Rossensi in earum assertionum defensione, & Ekio lib. 3. de sacrificio missæ, docet, quod sicut incarnatio Verbi non habet rationem sacrificij, sed solum fuit preparatio ad sacrificium cruentum, quo Christus oblatus est in cruce, sic consecratio, per quam Christus ponitur sub speciebus eucharisticis, non est formaliter sacrificium, sed est preparatio, per quam post consecrationem offeritur; sacrificium verò formaliter consistit in oblatione, qua post consecrationem Christus offertur per illa verba: *Offerimus præclara maiestati tuæ de tuis donis, ac àuis hostiam puram, hostiam sanctam &c.*

3. Tertia sententia Melchioris Cani lib. 12. de locis Theologicis, cap. 13. Par. *Quantum verò*

ro docet essentiam sacrificij eucharistici consistere in duabus actionibus, consecratione nimirum, & fractione, itavt per solam consecrationem sine fractione non habeatur adequata ratio sacrificij. Alij hanc opinionem ita limitarunt, vt docuerint fractionem non requiri ad essentiam, sed solum ad integritatem sacrificij. Alij demum docuerunt etiam distributionem pertinere ad rationem sacrificij, siquidem Christus non solum consecrauit, sed etiam fregit, ac distribuit, & Apostolis præcepit, vt hoc ipsum facerent.

4. Quarta sententia, quam Vasquez disp. 222. cap. 3. num. 16. tribuit Ledesma 1. parte Quarti, quæst. 23. art. 4. in fine, docet essentiam sacrificij consistere in sola consumptione, ita vt consecratio non sit pars essentialis sacrificij, sed mera præparatio ad sacrificium. Sacrificium enim videtur consistere solum in actione, qua victima consumitur; sed Christus sub speciebus eucharisticis consumitur solum, dum manducatur, & bibitur; ergo in sola consumptione consistit sacrificium.

5. Quinta sententia, quam plures pro ea auctores citantes sequuntur Suarius disp. 85. sect. 5. & Vasquez hic disp. 222. cap. 5. docet essentiam sacrificij ita consistere in sola consecratione, vt consumptio nullo pacto sit pars essentialis sacrificij. Sicut ergo in lege veteri sacerdotes offerentes sacrificium debebant etiam de sacrificio iam oblato participare, & edere, & tamen illa actio edendi non erat pars essentialis sacrificij, sed erat mera participatio sacrificij oblato, sic in lege Evangelica sacerdos, qui corpus, & sanguinem Christi offert in sacrificium, debet de sacrificio oblato participare, & edere, & tamen actio illa consumptiua non est de essentia sacrificij, sed est mera participatio sacrificij iam oblato.

6. Sexta sententia Soti in 4. dist. 13. qu. 7. art. 3. Bellarmini lib. 1. de missa, cap. 27. prop. 7. & 8. Card. de Lugo disp. 19. de eucharistia sect. 5. & aliorum, docet essentiam sacrificij consistere partim in consecratione, partim in consumptione. Sicut enim in lege veteri essentia holocausti consistebat, non in sola occisione victimæ, sed etiam in combustione, qua cremabatur victima iam interfecta, sic in lege noua essentia sacrificij eucharistici, quod est per modum holocausti, consistit nõ in sola consecratione, quæ correspondet occisioni victimæ, sed etiam in consumptione, quæ correspondet combustioni.

7. Dicendum primò contra tres primas opiniones; essentia sacrificij neque totaliter, neque partialiter consistit in oblatione, qua hostia offertur ante, vel post consecrationem, neque in fractione, vel distributione.

Quod essentia sacrificij eucharistici neque totaliter, neque partialiter consistat in oblatione, probatur. Nam essentia sacrificij non consistit in nudis verbis, quibus id, quod sacrificatur, offertur, sed in actione, per quam destruitur, vel immutatur; sed oblatio, quæ

fit ante, vel post consecrationem, consistit in puris verbis, quibus nullo pacto immutatur id, quod offertur; ergo &c. Probatior maior: nam si Abraham sine vlla oblatione verbali iugulasset, & cremasset filium suum Isaac, obulisset illum in perfectum sacrificium, & holocaustum; ergo &c. Rursus in lege scripta non legimus, quod cum offerrebantur sacrificia, offerrentur per verba, sed solum per actiones, quibus victimæ iugulabantur, & cremabantur; ergo &c.

8. Confirmatur primo: nam Christus in vltima cæna obtulit Deo propriè sacrificium eucharisticum; sed non legimus, quod obtulerit se patri vlla oblatione verbali, sed solum legimus, quod benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: accipite, & manducate: hoc est corpus meum; ergo &c. Confirmatur secundo: nam vt dicit S. Gregorius lib. 7. epistolæ epist. 67. Apostoli ab initio, dum offerebant sacrificium eucharisticum, verbis consecrationis addebant solam orationem dominicam; sed Apostoli offerebant perfectum, & integrum sacrificium; ergo ad perfectionem, & integritatem sacrificij non requiritur vlla oblatio verbalis.

9. Quod essentia sacrificij neque consistat in fractione, probatur primo. Nam nominus propriè sacrificatur sanguis Christi, quam corpus; sed sanguis sacrificatur sine vlla fractione; ergo fractio panis non potest esse de essentia sacrificij. Secundo si fractio esset de essentia sacrificij, esset de essentia sacrificij fractio panis iam consecrati, fractio autem panis nondum consecrati, cum sit fractio panis purè materialis, procul dubio non potest esse de essentia sacrificij; sed Christus fregit panem solum ante consecrationem, vt colligitur ex verbis Evangelistæ, siquidem Math. 26. dicitur: *Benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: accipite, & manducate: hoc est corpus meum*, ergo &c. Confirmatur: nam hostia consecrata casu ante fractionem ceciderit in calicem, non debet frangi, vt præcipitur in Missali Romano; sed si fractio esset de essentia sacrificij, nunquam deberet omitti fractio; ergo &c.

10. Dicendum secundo contra quartam & quintam sententiam: de essentia sacrificij perfecti est non sola consecratio, sed etiam consumptio. Probatior: nam de essentia sacrificij perfecti sunt illæ actiones, per quas victima perfectè immolatur, & sine quibus non intelligitur perfectè immolari; sed Christus in sacrificio eucharistico immolatur, tum per consecrationem, tum per consumptionem, & per solam consecrationem non intelligitur perfectè immolatus; ergo &c. Probatior minor, & primò, quod Christus immolatur per consecrationem. Per illam actionem victima animata, & viuens immolatur per quam reducitur ad statum, & vltimè inanimata; sed Christus, qui est victima animata, & viuens, per consecrationem reducitur

tur ad statum rerum inanimatarum, hoc est panis, & vini, nimirum ad hoc, ut manducetur, & bibatur; ergo Christus per consecrationem formaliter immolatur.

11. Secundo probatur, quod Christus immolatur etiam per consumptionem. Victimam non solum immolatur, dum iugulatur, & per iugulationem reducit ad statum rei inanimatæ, sed etiam dum crematur eius cadaver inanime; sed Christus postquam per consecrationem redactus est ad statum rei inanimatæ, panis nimirum, & vini, dum manducatur, & bibitur, sacramentaliter consumitur secundum esse sacramentale panis, & vini; ergo Christus immolatur etiam per consumptionem, per quam manducatur, & bibitur.

12. Tertio demum probatur, quod Christus per solam consecrationem non intelligitur perfecte immolatus. Victimam enim per illam actionem, quæ ex sua institutione ordinatur ad ulteriorem consumptionem, non intelligitur perfecte immolata, ut patet exemplo holocausti, in quo victima non intelligitur perfecte immolata per iugulationem, quia iugulatio ordinabatur ad ulteriorem consumptionem, per quam victima cremaretur; sed consecratio, per quam Christus reducit ad statum panis, & vini, ordinatur ad ulteriorem consumptionem, per quam sacramentaliter comedatur, & bibatur; ergo Christus per solam consecrationem non intelligitur perfecte immolatus. Hinc est, ut consumptio adeo necessaria semper iudicata fuerit in ecclesia ad perfectionem sacrificii eucharistici, ut si forte sacerdos post consecrationem ante consumptionem moriatur, vel alio modo impediatur à consumptione, oporteat alium sacerdotem illi succedere, & sacrificium consumere, ut patet ex Concilio Tolitano 12. cap. 5. & ex regulis Missalis. Confirmari potest ex Patribus, qui videri possunt apud Bellarminum lib. 1. de missa, cap. 22. & Cardinalem de Lugo disput. 19. sect. 5.

13. Opponi potest primo: Christus est principalis sacerdos se ipsum sacrificans in sacrificio eucharistico; sed si consumptio esset de essentia sacrificii, non esset principalis sacerdos: nam Christus non manducat, & bibit se ipsum, sed manducatur, & bibitur à sacerdotibus; ergo &c.

Respondeo, quod sicut Christus se ipsum sacrificavit in ara crucis, quia licet non se ipsum crucifixerit, tamen tradidit se ipsum crucifigendum, sic Christus est principalis sacerdos in sacrificio eucharistico, quia licet se ipsum non manducet, & bibat, tamen sacerdos consecrante, ponit se sub speciebus eucharisticis, & tradit sacerdoti, ut ab eo manducetur, & bibatur, & sic sacramentaliter consumatur.

14. Opponi potest secundo: si consumptio esset de essentia sacrificii, sequeretur,

quod etiam laici ad sacrificium concurrerent simul cum sacerdote: siquidem cum eucharistiam accipiunt, etiam ipsi consumunt.

Respondeo, negando sequelam. Nam ad sacrificium non sufficit, ut sit quæcumque consumptio victimæ, sed requiritur, ut sit consumptio legitime instituta ad profitemdum Deum esse dominum vitæ, & mortis; sed sola consumptio sacerdotis ad hoc ordinatur, communio autem laicorum non ordinatur ad hoc; ergo &c. Explicatur. Immolatis sacrificiis antiquis, partes aliquæ victimæ manducabantur, non solum à sacerdotibus, sed etiam ab offerentibus, & tamen illa manducatio erat sola participatio sacrificii iam oblatis, non autem erat pars essentialis sacrificii, sed partes essentialis sacrificii erant sola iugulatio, & combustio adipis; ergo quia sacrificium eucharisticum institutum fuit per modum holocausti, sola consecratio, quæ correspondet iugulationi, & sola consumptio sacerdotis, quæ correspondet cremationi victimæ, spectat ad essentiam sacrificii eucharistici; communio laicorum non est pars, sed sola participatio sacrificii.

15. Opponitur tertio: cum corpus Christi est consecratum, verè est sacrificatum; ergo consumptio non est de essentia sacrificii.

Respondeo, distinguo antecedens: est sacrificatum sacrificio imperfecto, & inchoato, concedo; sacrificio perfecto, & consummato, nego; & nego consequentiam. Sicut victima holocausti, cum erat iugulata, sed nondum erat cremata, erat quidem sacrificata, sacrificio imperfecto, & inchoato, sed nondum erat sacrificata sacrificio perfecto, & consummato, sic Christus per consecrationem ante consumptionem est quidem sacrificatus sacrificio imperfecto, & inchoato, sed nondum est sacrificatus sacrificio perfecto, & consummato.

16. Opponuntur quarto plures Patres, qui dicunt sacrificium eucharisticum consistere in consecratione. Respondeo, quod non negant etiam consumptionem esse partem essentialis sacrificii, eo pacto, quo dum dicunt holocaustum consistere in iugulatione victimæ, non negant consistere partialiter etiam in victimæ crematione.

17. Ex dictis potest explicari, quo pacto sacrificium eucharisticum sit figurativum, & commemorativum sacrificii crucis, quo Christus obtulit se ipsum in cruce?

Dicendum primo, quod sacrificium, quo Christus sub speciebus eucharisticis se ipsum obtulit in ultima cæna, fuit figurativum mortis Christi ut futuræ, & iam instantis. Probatur ex verbis Christi 1. Cor. 11. & Matth. 26. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*; ergo Christus obtulit corpus suum sub speciebus panis in figuram oblationis, qua traditurus erat corpus suum ad crucifigendum;



parte qu. 30. art. 12. qu. 1. ad 3. argumentum; Gabrielis lea. 10. in canonem, littera D. Hostij in confessione catholica, cap. 40. Syluestri in summa, verbo *Eucharistia*, qu. 5. Soti in 4. dist. 9. qu. 1. art. 2. & aliorum, quos refert, & sequitur Vasquez disp. 223. cap. 3. & Cardinalis de Lugo disp. 19. sect. 8. docet dari præceptum diuinum consecrandi sub vtraque specie. Ex his aliqui docent hoc diuinum præceptum posse à summo Pontifice ex aliqua magna causa dispensari; alij, vt Sotus, Syluester, Suar. Vasquez, & Cardinalis de Lugo dicunt hoc præceptum esse etiam à summo Pontifice penitus indispensabile.

3. Dicendum primò: præceptum sacrificandi sub vtraque specie non est purè ecclesiasticum, sed diuinum. Probatur primò ex Tridentino sess. 22. cap. 1. vbi postquam dixit Christum corpus, & sanguinem sub speciebus panis, & vini obtulisse, subdit, *ac sub eorum verum symbolis Apostolis, quos tunc noui testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, offerrent, præcepit per hæc verba Lucæ 22. hoc facite in meam commemorationem &c.* ergo iuxta Tridentinum Christus dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit, vt sicut ipse obtulerat sacrificium sub speciebus panis, & vini, sic Apostoli, & successores offerrent sub vtraque specie. Quædam alia testimonia videri possunt apud Vasquez, disp. 223. cap. 3. num. 13. & sequentibus.

Probatur secundo ratione. Nam est de iure diuino, vt offeratur sacrificium perfectum, & non solum imperfectum; sed sacrificium sub vna specie esset imperfectum, vt dictum est qu. 195. num. 2. & sequentibus; ergo &c.

4. Dicendum secundo: Pontifex non potest dispensare in hoc, vt sacrificium eucharisticum offeratur sub vna tantum specie. Probatur: nam non potest dispensare in hoc, vt offeratur sacrificium tantum imperfectum. Confirmatur: nam in ijs, quæ iure diuino præcepta sunt circa materias, & formas sacramentorum, Pontifex nihil potest mutare: quidquid sit, vtrum possit dispensare in aliquo alio præcepto diuino ad hæc non spectante; sed iure diuino præceptum est, vt sacrificium eucharisticum offeratur sub vtraque specie, & sub vtraque conficiatur sacramentum eucharistia; ergo &c.

5. Opponi potest primo: Lucæ 22. Christus apprensus duobus discipulis euntibus in Emaus consecrauit sub specie solius panis, ac deinde disparuit; ergo non ita præcepit consecrationem fieri sub vtraque specie, vt voluerit hoc suum præceptum esse indispensabile à summo Pontifice.

Respondeo, negando consequentiam. Christus enim vt Dominus potuit consecrare sub vna, vel sub vtraque specie, hanc, vel illam materiam, vt volebat; ex hoc verò non sequitur Christum dedisse Summo Pontifici

Tom. III.

potestatem consecrandi sub vna, vel vtraque specie, sub hac, vel illa materia &c.

6. Opponi potest secundo. Raphael Volateranus lib. 7. Geographiæ, cap. 41. narrat Innocentium VIII. dispensasse cum Noruegis, vt apud eos consecraretur solum sub specie panis, propter difficultatem transferendi vinum in eas regiones: hoc idem narrat Onophrius Panuinus in Chronico sub annum 1490. Eodem modo cum iisdem Noruegis dispensasse Innocentium Quartum ex Volaterrano refert Claudius Sainctes, repet. 10. de Euchar. cap. 3. ergo &c.

Respondeo hanc narrationem esse reijciendam vt fabulosam. Verba enim Volaterrani sunt. Noruegis Innocentij VIII. concessione permixtum sine vino calicem sacrificare; sed sacrificare calicem sine vino est sacrificare cum alio liquore; ergo iuxta narrationem Volaterrani Pontifex dispensasset, vt consecrarent alium liquorem à vino; sed constat apud omnes non posse Pontificem concedere, vt consecraretur alius liquor, qui non sit vinum ex vite; ergo &c. Onophrius narrat quidem Innocentium VIII. concessisse Noruegis, vt apud eos consecraretur sub vna tantum specie, sed cum nullum alium huius narrationis auctorem habuerit, quam Volaterranum, qui hoc non dicit, non meretur illam fidem. Claudius Sainctes narrat quidem ex Volaterrano Innocentium Quartum concessisse Noruegis consecrationem vnius tantum speciei; sed cum Volaterranus hoc non narret de Innocentio IV. sed de Innocentio VIII. videtur deceptus, & loco Innocentij VIII. citare Innocentium IV. ac proinde narratio illa non meretur fidem. Historia, igitur illa non est admittenda, cum auctores sibi non consent. Videri potest Vasquez disp. 223. cap. 3. num. 26.

7. Aliqui dixerunt consecrationem sub vna tantum specie, non solum esse illicitam, sed etiam inualem, & hanc sententiam refert Innocentius Tertius de officio missæ, cap. 23. Sed hanc sententiam omnes reijciunt, licet Cardinalis de Lugo disp. 19. cap. 8. nu. 102. conetur illam trahere ad rectum sensum. Ratio est, quia consecratio panis statim habet suum effectum, & non pendet à consecratione vini; ergo etiam si omittatur consecratio vini, panis iam fuit validè consecratus.

### QVAESTIO CXCVII.

*Vtrum sacrificium eucharisticum oblatum à sacerdotibus sit idem specie, vel numero cum sacrificio eucharistico oblato à Christo in vltima cæna, & cum sacrificio cruento crucis?*

1. **E**xplicata essentia sacrificij eucharistici, sequitur, vt examinemus, vtrum sacri-

sacrificium eucharisticum à Christo oblatum in vltima cœna sit idem specie, ac numero, cum sacrificio eucharistico, quod alij sacerdotes quotidie offerunt in Ecclesia: & vtrum sit idem specie, vel numero cum sacrificio cruento, quod Christus obtulit in cruce.

2. Dicendum igitur primo: sacrificium eucharisticum, quod Christus obtulit in vltima cœna, fuit materialiter, & accidentaliter differens à sacrificijs eucharisticis, quæ alij sacerdotes offerunt in Ecclesia, tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblata, tum ex parte temporis, pro quo repræsentabatur sacrificium cruentum crucis.

Probatum, & explicatur. Primo fuit differens ex parte offerentis, quia in vltima cœna sacerdos offerens fuit solus Christus; in sacrificijs, quæ quotidie offeruntur in Ecclesia, præter Christum concurrunt alij sacerdotes. Secundo fuit differens ex parte rei oblata. Nam in vltima cœna oblatum est Christus adhuc mortalis, & passibilis: in nostris sacrificijs offertur Christus immortalis, & impassibilis. Tertio fuit differens ex parte temporis, pro quo repræsentatur sacrificium cruentum. Nam in vltima cœna fuit repræsentatum sacrificium cruentum vt futurum, & offerendum: in nostris repræsentatur sacrificium cruentum, vt iam peractum, & oblatum.

3. Dicendum secundo; his non obstantibus sacrificium à Christo oblatum in vltima cœna fuit eiusdem speciei cum nostris, ac solo numero, & accidentaliter differens à nostris. Probatum. Nam ad hoc, vt sacrificium sit eiusdem speciei, sufficit, vt immoletur eadem specie victima, & eodem modo immolationis; sed in vltima cœna immolata fuit eadem non solum specie, sed etiam eadem numero victima, & eodem modo immolationis, quo immolatur in missis quotidianis: siquidem idem Christus immolatur per hoc, quod ponatur sub speciebus panis, & vini, & sacramentaliter immutetur, & consumatur; ergo &c. Quia verò sacrificium est numero diuersum, cum victima licet eadem, immolatur immolatione numero diuersa, ideo quot multiplicantur missæ, tot numero sacrificia offeruntur.

4. Dicendum tertio; sacrificium eucharisticum ex parte victimæ oblatae est idem numero cum sacrificio cruento crucis, sed quia differt specie ex parte modi immolationis, simpliciter, & absolute differt specie à cruento sacrificio crucis.

Probatum, & explicatur. Nam idem numero Christus, qui oblatum fuit in cruce, offertur in eucharistia; ergo sacrificium cruentum ex parte victimæ oblatae est idem numero cum cruento. At in sacrificio cruento Christus fuit verè occisus; in eucharistia non occiditur, sed solum ponitur sub speciebus panis, & vini, & sacramentaliter manducatur, & bibitum; sed immolatio per veram oc-

cisionem victimæ, specie differt ab immolatione sacramentali iam explicata; ergo sacrificium cruentum, quoad modum immolationis specie differt ab eucharistico; sed ad hoc, vt sacrificium simpliciter, & absolute specie differat, sufficit, vt licet victima sit eadem, immoletur immolatione specie diuersa; ergo &c. Videri possunt Suarez disp. 76. sect. 1. & Vasquez disp. 224. cap. 1. & 2.

## QVÆSTIO CXCVIII.

*Vtrum Christus sit principalis offerens sacrificij Eucharistici?*

1. **I**N sacrificio quatuor sunt consideranda: quod offertur, cui offertur, offerens, & pro quo offertur. Cum igitur explicando essentiam sacrificij eucharistici, dixerimus victimam in eo oblatam esse ipsum Christum, ac offerri Deo, siquidem sacrificium soli Deo offerri potest, vt dictum est qu. 190. num. 2. sequitur, vt examinemus, quanam hoc sacrificium, & pro quibus offerant.

2. Certum est apud catholicos in sacrificio missæ non solum offerri eandem hostiam, quæ fuit oblata in sacrificio crucis, sed etiam eundem Christum, qui vt summus sacerdos obtulit se ipsum in cruce, offerre quotidie se ipsum in sacrificio Eucharistico. Hæc veritas definita est in Tridentino sess. 22. cap. 2. in Lateranensi sub Innocentio Tertio, cap. firmiter, vbi dicitur Christum in hoc mysterio simul esse sacerdotem, & sacrificium. Probatum autem ex Patribus. Nam Irenæus lib. 4. cap. 3. & 34. dicit: *Per Iesum Christum offertur in Ecclesia*. Cyprianus lib. 2. Epistoliarum, Epist. 3. quæ non est 63. dicit: *Sacerdos in Altari vice Christi fungitur, ac sacrificium verum, & plenum Deo Patri offert*. Augustinus lib. 10. de Trinit. cap. 20. loquens de Christo dicit: *Per hoc & sacerdos est ipse offerens, ipse & oblatio: cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesia sacrificium*. Ambrosius lib. 1. officiorum, cap. 48. & in Psalmis. *Ipsè offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur*. Chrysostomus homil. 82. in Matth. *Qui tunc in illa cœna constituit, ipse nunc quoque operatur*; & hom. 2. in 2. epist. ad Timotheum, & hom. 17. in epist. ad Heb. & hom. 90. ad Populum, & hom. de Proditione Iudæ: *Cum videris Sacerdotem offerentem, non ipsum consideres hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extendam*; & in Liturgiâ. *Ipsè est, qui offert, ipse qui offertur*. Confirmatur nam Christus Psal. 139. dicitur *Sacerdos æternus, secundum ordinem Melchisedech*; sed non ex alia ratione, nisi quia semper offert se ipsum sub speciebus panis, & vini; ergo &c.

3. Quæritur, quo pacto Christus se ipsum offerat in sacrificio Eucharistico. Vasquez disp. 225. cap. 3. citans Scotum quodlib. 2. art. primo, Gabrielem lect. 26. & 27. in Ca-

nonem, & Cordubam lib. 1. qu. 3. docet solos sacerdotes Ecclesiæ proximè, & actu hoc sacrificium offerre, Christum autem offerre tantum remotè, & ratione solius institutionis, qua præcepit, vt hoc sacrificium in memoriam ipsius, & in eius persona offerretur, in qua voluntate perseuerat. Suarius disp. 77. sect. 1. cum communi sententia plurium auctorum, quos citat, docet Christum, non solum se remotè offerre ratione institutionis, sed immediatè, & proximè, quia actu se offert cum ipso sacerdote, & cum ministro suo, præsertim cum etiam actu concurrat ad effectum consecrationis.

4. Dicendum cum secunda sententia: Christus non solum se remotè offert ratione institutionis, sed etiam immediatè, & proximè, & est principalis offerens. Probat: nam ideo Christus immediatè, & proximè se obtulit in cruce, quia in signum professionis, qua profitebatur Deum esse dominum, vitam, & mortis, dedit se ipsum crucifigendum, & postquam crucifixus est, effudit sanguinem, & cum sanguine vitam; sed Christus in missa in signum professionis, qua profitetur Deum esse dominum vitam, & mortis, ponit se ipsum sub speciebus panis, & vini, & dat suum corpus manducandum, & suum sanguinem bibendum; ergo Christus immediatè, & proximè se offert in sacrificium eucharisticum, ideoque est sacerdos in æternum, quotidie se offerens sub speciebus panis, & vini. Non solum igitur Christus offert, quia sacerdos offert nomine Christi, sed etiam quia ipsemet Christus ponit se sub speciebus panis, & vini, & dat se sacerdoti manducandum, & bibendum, ideoque est principalis offerens. Confirmatur ex citatis locis Patrum, quæ satis expressè videntur hoc significare.

5. Opponitur: si Christus immediatè, & proximè offerret sacrificium eucharisticum, per eius oblationem de nouo mereretur, oraret, satisfaceret, impetraret: quæ sunt absurdum.

Respondeo, negando, quod Christus de nouo mereatur, & satisfaciat, siquidem ad merendum requiritur status viatoris, ad satisfaciendum requiritur passibilitas; Christus autem non est amplius viator, & passibilis. Offerret igitur sacrificium, ita ut non de nouo mereatur, & satisfaciat, sed applicet merita, & satisfactiones sacrificij cruenti, vt magis explicabitur inferius. Quod autem Christus etiam nunc oret, & interpellet pro nobis, & impetret, non est absurdum, vt docet Cardinalis de Lugo disp. 19. sect. 7. num. 96. Opponit Vasquez testimonium Simeonis Thessalonicensis asserentis plenum esse blasphemiam, dicere, Christum per preces, quæ in missa offeruntur, semper mediatorem agere. Sed vt aduertit Cardinalis de Lugo sectione citata, num. 9. Simeon ille nullus est auctoritatis, cum fuerit modernus quidam schismaticus, quem vt Ecclesiæ hostem acriter infestantur, qui con-

trouersias contra Orientalium errores ediderunt.

### QVAESTIO CXCIX.

*Virum omnes, & soli sacerdotes habeant potestatem offerendi sacrificium Eucharisticum?*

1. **P**Osito, quod Christus sit principalis sacerdos offerens sacrificium eucharisticum, quæritur quinam sint ministri habentes à Christo potestatem offerendi hoc sacrificium nomine ipsius Christi?

Prima sententia Hæreticorum nostri temporis docet, nullos requiri sacerdotes ab ecclesiâ ritè ordinatos ad hoc sacrificium offerendum, sed quoslibet fideles ad hoc sufficere, vel saltem eos, qui à populo, vel magistratibus deputantur. Hæc opinio est hæretica, ac damnata in Concilio Tridentino, sess. 23. cap. 4. & can. 1. ac proinde de fide est solos sacerdotes legitime ordinatos posse hoc sacrificium conficere, & offerre, licet alij non sacerdotes possint offerre, non autem conficere. Colligitur autem hæc doctrina ex Concilio Nicæno, can. 14. in quo negat diaconum habere potestatem offerendi hoc sacrificium; & ex Arelateni cap. 13. vbi idem statuitur; & ex Florentino, vbi ponitur hæc forma ordinandi sacerdotes: *Accipe potestatem offerendi sacrificium*. Idem docent Sancti Patres, Augustinus lib. quæst. veteris Testamenti, qu. 46. Hieronymus Epistola 117. ad Fabiolam, & alij. Ratio est, quia illi soli possunt hoc sacrificium conficere, quibus à Christo data est hæc potestas; sed à Christo data est hæc potestas Apostolis, eorumque successoribus, quibus dicitur, *Hoc facite &c.* ergo &c.

2. Secunda sententia extreme contraria Magistri in 4. dist. 13. vbi Scotus quæst. 2. in eam est propensus, Guillelmi Parisiensis in tractatu de sacramento ordinis, eamque videtur docere etiam Gratianus, cap. *quod quidem* 1. qu. 1. docet non omnes sacerdotes legitime ordinatos posse hoc sacrificium offerre, sed solum eos, qui sunt ab ecclesiâ tolerati, ac proinde hæreticos, schismaticos, degradatos, depositos, excommunicatos, suspensos, & vniuersim omnes ab ecclesiâ præcisos, hoc sacrificium offerre non posse. Fundamentum est, quia cum sacrificium offeratur nomine ecclesiæ, non potest offerri, nisi ab ijs, qui sunt in ecclesiâ, ideoque Patres, quos loco allegato citat Gratianus, docent, extra ecclesiam non offerri verum sacrificium.

3. Hæc sententia, si ideo neget sacerdotes præcisos offerre verum sacrificium, quia non conficiunt verum sacramentum, est hæretica, & vsque à temporibus S. Augustini in ecclesiâ damnata. Si verò dicat solum, sacerdotes ab ecclesiâ præcisos posse quidem validè consecrare, sed non posse eam consecrationem efficere

ficere sub ratione sacrificij, qui non sunt ministri publici ecclesiæ, prout ad sacrificium requiritur, à Suario disp. 77. non existimatur apertè hæretica, cum nullibi inueniatur apertè damnata, sed est falsa.

4. Dicendum igitur cum communi sententia S. Thomæ q. 82. art. 7. & 8. aliorumque, quos referunt, & sequuntur Suarius disp. 77. sect. 2. & Vasquez disp. 226. cap. 1. omnes sacerdotes, quantumuis ab ecclesiâ præcisos, posse validè sacrificium conficere, & offerre, licet illicitè id faciant. Probat: nam ad sacrificium offerendum sufficit, ut quis potestate legitime accepta, verè immolet hostiam in signum professionis, qua profiteamur Deum esse dominum vitæ, & mortis; sed sacerdos etiam præcisus, eo ipso, quod validè consecrat, cum intentione faciendi quod facit ecclesiâ, verè immolat Christum in signum professionis, qua profiteamur Deum esse auctorem vitæ, & mortis; siquidem hoc facit ecclesiâ, dum consecrat; ergo &c. Nec obstat, quod sacerdos præcisus non possit sacrificare in persona ecclesiæ: nam sufficit, ut possit sacrificare in persona Christi. Patres, dum dicunt extra ecclesiâ non dari verum sacrificium, explicantur à Glossa in capite in Ecclesiâ 1. quæst. 1. ut dicant non esse verum, id est efficacax, & fructuosum offerentibus, & cooperantibus. Cum enim qui offerunt sacrificium extra ecclesiâ, & qui cooperantur, grauius peccent, sacrificium non est illis fructuosum.

## QVÆSTIO CC.

*Virum alij fideles aliquo pacto offerant sacrificium eucharisticum?*

1. **C**ertum est apud catholicos, non solum Christum, & sacerdotes nomine Christi, sed etiam alios fideles, & ipsam ecclesiâ aliquo pacto offerre sacrificium missæ. Docent id expressè Rupertus lib. 2. de diuinis officiis, cap. 6. Innocentius Tertius lib. 3. de mysterijs missæ, cap. 4. S. Leo. Epist. 81. ad Dioscorum, & alij, quos citant Suarez disp. 77. sect. 3. & Vasquez disp. 226. cap. 2. Colligitur autem ex verbis Canonis, in quo dicitur: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cuncto familiae tuæ, hoc est ecclesiæ, quæ est familia Christi: & paulo post: Unde, & memores Domine nos serui tui, sed & plebs tua sancta &c. offerimus præclaræ maiestati tuæ; & infra memento Domine &c. & omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.*

2. Quæritur, quo pacto ecclesiâ, & fideles, qui sacerdotes non sunt, dicantur offerre sacrificium eucharisticum? Dicendum id posse multipliciter explicari. Primo actiones vnus partis tribuuntur toti; sed ecclesiâ est corpus mysticum, cuius sacerdotes sunt mem-

bra; ergo dum sacerdotes, qui sunt membra ecclesiæ, sacrificium offerunt, tota ecclesiâ dicitur sacrificium offerre; præsertim cum sacerdotes sint instituti, ut offerant sacrificium nomine totius ecclesiæ. Hinc redditur ratio, quare Angeli non offerant sacrificium. Ratio est, quia sacerdotes sunt instituti, ut offerant sacrificium nomine hominum, non nomine Angelorum, ac nomine ecclesiæ militantis, non nomine triumphantis. Secundo ille, cuius est victima, quæ sacrificatur, dicitur offerre illam victimam per sacerdotem; sed Christus dat se ipsum ecclesiæ ut victimam sacrificandam; ergo ecclesiâ dicitur per suos sacerdotes Christum sacrificare. Tertio demum, dicuntur specialiter sacrificium offerre, qui specialiter ad illud concurrunt, vel præstant, vel dando stipendium, & elemosynam. Videri possunt Suarius disp. 77. sect. 3. & Vasquez disp. 226. cap. 2.

## QVÆSTIO CCI.

*Pro quibus offerri possit sacrificium missæ?*

1. **S**acrificium pro aliquo offerri apud Patres, & Theologos, nihil aliud est, quam in aliorum vtilitatem offerri, & immolari. Quærimus igitur, in quorum viuendum, vel defunctorum vtilitatem offerri possit sacrificium eucharisticum.

Certum est primo, sacrificium eucharisticum offerri posse pro omnibus fidelibus baptizatis, qui membra sunt ecclesiæ, neque ab ea per excommunicationem vilo modo præcisi. Ita definitum est à Tridentino sess. 21. 2. cap. 2. & can. 3. Patet. Nam de facto ecclesiâ in missæ canone post illa verba, *Te igitur clementissime Pater*, subdit: *in primis, qui tibi offerimus pro ecclesiâ tua catholica*; sed ecclesiâ constat ex omnibus fidelibus baptizatis; ergo &c. Porro nomine fidelium baptizatorum intelliguntur etiam infantes baptizati; siquidem licet per sacrificium non possit illis ex opere operato remitti aliquid pœnæ, cum non habeant reatum vllius pœnæ, potest tamen aliquod donum impetrari; ideoque Clementinus lib. 8. constitutionum Apostolicarum iubet in missarum solemnij orari pro infantibus, *ut eos dominus perfectos in timore suo reddat &c.* Comprehenduntur etiam energumini baptizati. Nec obstat can. 29. Concilij Eliberitani. Ibi enim solum energumini prohibentur ministrare huic sacrificio, & nomen eorum inter missarum solemnias recitari. Videri potest Vasquez disp. 227. cap. 2.

2. Quæritur igitur, vtrum sacrificium missæ offerri possit pro catechumenis, & infidelibus, siue gentilibus, siue hæreticis, dummodo excommunicati non sint. Vasquez disp. 227. cap. 2. docet hoc sacrificium suapte natura pro non baptizatis offerri non posse, nec vnquam potuisse, siue illi cate-

chumeni sint, siue infideles pagani, aut Iudæi, nam et si publicæ orationes pro ijs fieri possint. Suarius disp. 78. sect. 3. docet posse offerri, & hanc sententiam sequitur Cardinalis de Lugo disp. 19. sect. 10.

3. Dicendum primo: pro catechumenis non potest offerri sacrificium missæ, ita ut fructus satisfactionis proficit illis ex opere operato. In hac conclusione conveniunt Suarius, & Vasquez. Ratio est, quia baptismus est ianua sacramentorum; ergo sicut nullum sacramentum ex opere operato potest prodesse non baptizatis, sic nec sacrificium, quod quoad hoc æquiparatur sacramento.

4. Dicendum secundo: fructus impetrationis ex opere operantis potest prodesse, & applicari etiam catechumenis. In hac etiam conclusione conveniunt Suarius, & Vasquez. Ratio est, quia sicut potest quis per cleemofynas, & alia opera pia impetrare aliquid etiam infidelibus ex opere operantis, sic per opus pium sacrificandi. Superest igitur questio, an fructus impetrationis sacrificij ex opere operato possit applicari catechumenis, & infidelibus: in qua quæstione negat Vasquez, affirmat Suarius.

5. Dicendum tertio: potest fructus impetrationis, quod sacrificium habet ex opere operato, offerri etiam pro catechumenis, & infidelibus, ita ut illis proficit. Probatur primo. Nam ecclesia in missa orat etiam pro catechumenis, immo, & pro Regibus, & pro Principibus ethnicis, ut constat ex pluribus, quæ asserti ipse Vasquez disp. 227. cap. 2. Respondet Vasquez, quod orat quidem, sed non offert sacrificium, ad ea, quæ postulat impetranda. Sed rejicitur: nam in libro, qui inscribitur, *Ordo Romanus*, in capite, cui titulus est: *incipit ordo, vel denunciatio scrutini ad electos in missa, dum preparantur ad futurum baptismum*, in oratione infra canonem habetur: *Hanc oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiae tuæ, quæsumus domine, ut placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis, & famulis tuis, quos ad æternam vitam, & beatum gratia donum eligere, atque vocare dignatus es; ergo ecclesia non solum orat, sed etiam sacrificium offert pro catechumenis. Confirmatur: nam in oblatione calicis offerimus pro nostra, & totius mundi salute &c.*

6. Probatur secundo. Nam Innocentius tertius, capite *Apostolicam* de presbytero non baptizato, iubet hostias, & sacrificia offerri pro non baptizato. Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani, qui mortuus fuerat catechumenus, dicit: *date manibus sanctæ mysteriorum: date sacramenta celestia: animam piam nostris oblationibus prosequamur.*

7. Probatur tertio ratione. Nam sacrificium in quantum est impetratorium potest offerri pro quacunq; re, quæ potest à Deo haberi, & obtineri, puta pro obtinenda pluvia, serenitate &c. ergo etiam pro salute catechumeni, iudæi, gentilis &c. siquidem

nostra, & ecclesiæ interest illam obtinere. Tunc enim ecclesia quodammodo sacrificium offert pro se, dum illud offert, quod ecclesiæ maximè interest. Hinc patet disparitas, quare sacrificium per modum satisfactionis non possit offerri, nisi pro baptizatis, per modum impetrationis possit. Ratio est, quia per modum satisfactionis applicatur immediatè, & directè ei, pro quo offertur; ergo cum solus baptizatus sit capax, per modum satisfactionis potest applicari pro solis baptizatis. At cum applicatur per modum impetrationis, immediatè, & directè applicatur nobis ipsis, quibus volumus aliquid impetrare; ergo cum simus capaces, possumus illud nobis impetrare, etiam cum redundat in bonum infidelis, & non baptizati.

8. Opponit primo Vasquez. Concilium Bracharente 1. cap. 35. in quo dicitur: *Placuit, ut catechumenis sine redemptione baptismi defunctis simili modo, neque oblationis sanctæ commemoratio, neque psalmodia impendantur officium; ergo &c.*

Respondeo, quod sicut prohibita fuit psalmodia, non quia erant incapaces recipiendi fructum ex ea, sed propter alias rationes, nimirum ne catechumeni differrent baptismum; sic fuit prohibitum, ne sacrificium publicè offerretur, non quia essent incapaces impetrationis, sed ne differrent baptismum. Eodem pacto explicandus est Chrysostomus in epistola ad Philipp. sermone 3. in exhortatione morali. Solum enim voluit, ne pro catechumenis defunctis publicè offerrentur preces in ecclesia, non quia essent incapaces fructus ex impetratione, sed ne differrent baptismum, siquidem ad coercendam negligentiam catechumenorum in susceptione baptismi, tunc temporis prohibebatur, ne publicè pro eis preces offerrentur, ut dicit Sixtus Senensis, lib. 6. Biblioth. Annot. 331.

9. Opponit secundo Augustinum, qui lib. de anima, & eius origine, cap. 9. referens errorem cuiusdam dicentis animas infantium non baptizatorum debere sacrificij oblatione iuari, ut æternam vitam consequantur, dicit. *Quis offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui membra sunt Christi?*

Respondeo, quod Augustinus loquitur de sacrificio ut satisfactorio, quod ex dictis num. 3. non potest prodesse, nisi solis baptizatis.

10. Quæritur secundo, utrum sacrificium missæ offerri possit pro hæreticis, & schismaticis, aliisque excommunicatis.

Dicendum primo cum Suario tom. 5. disp. 9. sect. 5. Cardinali de Lugo disput. 19. sect. 10. & alijs, sacrificium missæ ex natura sua, & præscindendo ab excommunicatione, posse offerri etiam pro hæreticis, & schismaticis baptizatis. Ratio est, quia cum sint baptizati, per baptismum facti sunt capaces recipiendi fructus sacrificij.

11. Dicendum secundo: de facto propter

pter prohibitionem ecclesiæ non potest offerri pro excommunicatis vitandis. Ratio est, quia ecclesia per excommunicationem maiorem vult priuare excommunicatos suffragijs, non quidem priuatis, sed communibus, quales sunt orationes, quæ offeruntur nomine ecclesiæ, indulgentiæ, sacrificium &c. Hinc sequitur posse sacerdotem priuatim, & suo nomine orare pro excommunicatis, pro iisdem sacrificium offerre &c. at non posse, neque validè, neque licitè offerre sacrificium nomine ecclesiæ, cum ecclesia nolit &c.

12. Dicendum tertio cum Cardinali de Lugo, & alijs ab ipso citatis contra Suarium: licet sacrificium non possit nomine ecclesiæ offerri pro excommunicatis vitandis, quales post Concilium Constantiense sunt soli notorii clerici percussores, & qui nominatim fuerunt denunciati, tamen probabilius est, quod sacrificium, & alia publica suffragia, etiam nomine ecclesiæ possint offerri pro excommunicatis non vitandis. Ratio est, quia Concilium Constantiense permisit, vt cum talibus excommunicatis communicemus in quibuslibet diuinis; ergo possumus illos admittere ad audiendum sacrum, ad orationes communes &c. sed sacrum offertur pro omnibus circumstantibus, & similiter orationes communes, sacrificia &c. ergo.

13. Quaritur tertio, vtrum, & pro quibus defunctis offerri possit sacrificium missæ.

Respondeo, quod cum defuncti, vel sint beati, vel damnati, vel in purgatorio detenti, de fide est sacrificium missæ offerri posse pro defunctis non excommunicatis in purgatorio detentis: siquidem id definitum fuit in Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 2. & can. 3. ac expressè docuerunt Patres, ac constanti traditione semper creditum est in ecclesia. Solum igitur dubitatur, vtrum possit offerri pro damnatis, & pro beatis, ita vt illis possit.

14. Quoad damnatos Glossa in Canonem *Tempus* 13. quæst. 2. qui est Augustini, docet, quod si eleemosina offeratur pro eo, qui decessit in mortali, & non summè, sed mediocriter malus fuit, potest illi prodesse, non quidem vt liberetur à poena, sed vt in æternum mitius puniatur; sed idem valet à fortiori de sacrificio missæ; ergo &c. Citantur autem pro hac sententiâ Augustinus in *Enchiridio* cap. 20. Innocentius Tertius, capite *cum Martha*, Parag. *tertio loco*, & à Sixto Senensi lib. 6. Biblioth. anno 47. citatur Chryostomus hom. 33. in Matthæum.

15. Dicendum contra hanc sententiâ: de fide est sacrificia, & orationes damnatis non prodesse, adeoque non posse pro ijs validè, neque licitè offerri, vt definitum est Canone *pro obeuntibus* 13. quæst. 2. qui dicitur desumptus ex epistola vltima Gregorij Secundi ad Bonifacium &c. Augustinus loco citato non loquitur de damnatis, sed nomine eorum, qui mediocriter mali sunt, intelligit

animas in purgatorio detentas. Innocentius tertius non decidit quæstionem, sed solum proponit. Videri potest Vasquez disp. 227. cap. 5. num. 36.

16. Quoad beatos, certum est possibile sacrificium offerri in gratiarum actionem pro beneficijs in sanctos collatis. Certum etiam est, quod potest offerri ad impetrandam gloriam, & venerationem alicuius sancti in terra. Demum certum est, quod non potest offerri pro sanctis, quasi ipsi indigeant mediatore apud Deum. Et quia sacrificium propriè offerri pro aliquo, videtur importere hanc imperfectiorem, quod ille indigeat mediatore apud Deum, ideo propriè non potest sacrificium offerri pro beatis. Cum igitur aliqui Sancti Patres dicunt sacrificium offerri pro sanctis, intelligendi sunt, vt dicant offerri non propriè, sed minus propriè.

## QVÆSTIO CCII.

*Virum sacrificium eucharisticum sit simul propitiatorium, & impetratorium?*

1. **H**æretici nostri temporis, nimirum Lutherus libro de captiuitate Babilonica, cap. 1. Caluinus lib. 4. institut. cap. 14. parte 13. 14. 15. & alij, quos citat Vasquez disput. 223. cap. 3. fatentur sacrificium creuentum esse eucharisticum, ita vt offeratur in gratiarum actionem, & laudatum, ita vt offeratur in honorem Dei, sed negant illud esse propitiatorium, hoc est aptum ad Deum placandum, ita vt placatus remittat peccata, & eorum poenas, & impetratorium, hoc est aptum ad obtinenda diuina beneficia, ac dicunt solum sacrificium creuentum crucis fuisse propitiatorium, & impetratorium: & quia ad sacrificium propriè dictum requiritur, vt sit propitiatorium, & impetratorium, ideo negant in missa offerri sacrificium propriè dictum.

2. Contra hunc errorem de fide est, ac definitum in Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 2. can. 3. sacrificium eucharisticum esse propitiatorium, & impetratorium, non solum sumentis, sed etiam alijs, pro quibus offertur, & pro eorum peccatis, poenis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus verè offerri. Probatur primo: nam Apostolus ad Heb. 5. dicit, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis*; ergo ex Apostolo officium sacerdotum est offerre sacrificia pro peccatis; sed in ecclesia sacerdotes non offerunt, nec possunt offerre aliud sacrificium, quam eucharisticum, vt dictum est quæst. 193. num. 2. ergo sacrificium eucharisticum offertur pro peccatis populi, adeoque est propitiatorium.

Confirmatur ex Patribus, tum Græcis, tum Latinis, qui videri possunt apud Vasquez disp. 223. cap. 2.

3. Probat ut secundo rationes; nam sacrificia legis Mosaicæ erant verè propitiatoria, & impetratoria, ideoque leuitici 4. præcipitur, vt sacerdos offerret sacrificia pro peccato, & additur: *Rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & demittitur ei*: & 2. Regum ultimo, David obtulit sacrificium, vt cessaret peccatus, & impetrauit; ergo à fortiori sacrificium eucharisticum, quod solum offertur in lege noua, est propitiatorium, & impetratorium. Magna tamen fuit differentia inter sacrificia mosaica, & sacrificium eucharisticum; siquidem per sacrificia vetera ex opere operato tollebantur irregularitates, & immunditiæ carnis, vt docet Apostolus ad Hebræos 9. per sacrificium autem eucharisticum emundamur à peccatis modo multo præstantiori, vt infra explicabitur.

QVÆSTIO CCIII.

*Virum sacrificium eucharisticum habeat vim remittendi mortalia, vel venialia, & augendi gratiam ex opere operato instar sacramenti?*

1. Posito, quod sacrificium eucharisticum sit propitiatorium pro peccatis, & impetratorium gratiæ, aliorumque bonorum, debemus examinare, quo pacto habeat vim placandi Deum, ita vt remittat peccata, & impetrandi gratiam.

2. Prima sententia quorundam recentiorum, quos referunt Suarius disput. 83. artic. 1. & Vasquez disput. 228. cap. 1. num. 1. docet sacrificium eucharisticum habere vim delendi ex opere operato peccata non solum venialia, sed etiam mortalia eorum, pro quibus offertur, instar sacramenti poenitentiae, adeoque quod sicut per sacramentum poenitentiae susceptum cum sola attritione remittuntur peccata mortalia, sic per sacrificium missæ oblatum pro aliquo, remittuntur peccata mortalia illius, pro quo offertur, dummodo habeat eorum attritionem.

3. Secunda sententia Melchioris Cani lib. 12. de locis Theologis, cap. 12. docet per sacrificium eucharisticum non remitti peccata mortalia cum sola attritione, instar sacramenti, sed remitti venialia.

4. Tertia sententia Dominici Soti in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 1. Parag. Quo circa versiculo offerentes autem, docet non solum sacerdotem offerentem, sed etiam alios offerentes sacrificium eucharisticum, si sint in statu gratiæ, obtinere sibi, non autem ijs, pro quibus offerunt, augmentum gratiæ, & iustificationis, non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, adeoque

maius, quam quod correspondet ipsorum deuotioni.

5. Quarta sententia communis auctorum, quos citant, & sequuntur Suarius disput. 59. sect. 3. Vasquez disput. 228. capit. 2. & 3. & Cardinalis de Lugo disp. 19. sect. 9. nu. 135. & sequentibus docet sacrificium eucharisticum non habere vim remittendi mortalia, nec venialia, aut obtinendi augmentum gratiæ ex opere operato instar sacramenti, sed solum habere vim placandi Deum, & impetrandi auxilia ad exerecendos actus, quibus obtineamus remissionem peccati, & augmentum gratiæ; & hanc sententiam sequimur.

6. Dicendum igitur primo: sacrificium eucharisticum non habet vim remittendi mortalia ex opere operato cum sola attritione, sed solum habet vim placandi Deum, ita vt det ei, pro quo offertur, donum poenitentiae, quo vel per contritionem extra sacramentum, vel per attritionem in sacramento remissionem peccati mortalis obtineat.

Probat ut primo ex Concilio Tridentino, in quo sess. 22. cap. 2. sic dicitur: *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum poenitentiae concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*; ergo ex Tridentino sacrificium causat remissionem peccatorum, quatenus placat Deum, ita vt det gratiam, & donum poenitentiae.

7. Probat ut secundo ex absurdis. Nam primo si sacrificium eucharisticum haberet per se hanc vim, vt offerrens cum sola attritione consequatur remissionem peccati mortalis, posset sacerdos sciens se esse in statu peccati mortalis offerre sacrificium cum sola attritione, vt obtineret remissionem peccati mortalis, ac deinde iam iustificatus sumere eucharistiam. Sicut enim quia sacramenta poenitentiae, & baptismi sunt per se remissa peccati mortalis, possumus licitè ad illa accedere cum sola attritione, sic ex eadem ratione posset sacerdos licitè accedere ad offerendum sacrificium eucharisticum. Secundo sequitur, quod qui habet attritionem mortaliū, ac nihil aliud de illis cogitaret, sed dormiret, alio pro eo sacrificium offerente, iustificaretur, & consequeretur eorum remissionem. Tertio si sacrificium eucharisticum haberet vim cum sola attritione remittendi mortalia, vt quid daretur vltior obligatio subiiciendi ea clauibus in sacramento poenitentiae?

8. Dicendum secundò: sacrificium eucharisticum neque habet vim augendi gratiam ex opere operato instar sacramenti. Probat ut; nam vel auget gratiam sine vlllo actu bono eius, in quo augetur gratia, vel medio aliquo actu bono eius, in quo augetur gratia; neutrum dici potest; ergo &c. Probat ut prima pars: sequeretur enim, quod tùm paruuli ante vsum rationis, tùm adulti post vsum rationis possent crescere in gratia, & san-

& sanctitate sine vilo actu meritorio, ex eo præcisè, quod sacrificium missæ pro ijs offertur, quod est absurdum, & repugnans sensui ecclesiæ, quæ hanc vim conferendi, & augendi gratiam in infantibus sine vilo actu eorum, tribuit solis sacramentis. Probat secundam partem. Nam si habet vim augendi gratiam medio actu bono eius, in quo augetur gratia, vel auget gratiam præcisè quantum ille meretur per talem actum, vel amplius; si primum; ergo non auget gratiam immediatè ex opere operato, siquidem ad hoc requiritur, vt tale augmentum excedat meritum operantis; si auget supra meritum operantis; ergo ex duobus exercentibus actus ex se æquè meritorios, alter accipiet maiorem gratiam ex eo præcisè, quod pro eo offertur sacrificium missæ: quod est absurdum, & repugnat sensui fidelium, præsertim cum dicatur sine fundamento, & sequeretur, quod posset sacrificium augere gratiam in infantibus etiam sine vilo ipsorum merito, si potest gratiam in adultis augere supra ipsorum merita. Dicendum igitur, quod sacrificium potest solum augere gratiam, quatenus placat Deum, ab eoque impetrat, vt det auxilia etiam efficacia ad faciendos actus, quibus gratia augetur ex opere operantis.

9. Dicendum tertio: sacrificium eucharisticum neque habet vim remittendi peccata venialia quoad culpam ex opere operato, instar sacramenti. Probat; nam vel habet vim remittendi venialia quoad culpam sine vilo actu bono, & sine vilo augmento gratiæ in eo, cui venialia remittuntur, & hoc licet admittatur esse possibile de potentia absoluta, tamen non fit de facto: siquidem de facto Deus nunquam remittit culpam, quæ est macula quædam peccatoris, sine aliqua mutatione intrinseca peccatoris; vel habet vim remittendi venialia, media infusione gratiæ, & sicut sacrificium non auget gratiam ex opere operato, vt dictum est num. 8. ita non remittit peccata venialia, media infusione gratiæ ex opere operato; vel dicitur, quod remittit venialia quoad culpam ex opere operato, medio aliquo actu bono, ita vt plura venialia remittantur, quam remitterentur præcisè ex vi illius actus boni, & hæc vis etiam videtur propria sacramenti, ac sine sufficienti fundamento tribui sacrificio. Fateor tamen hunc vitium modum esse satis probabilem. Concluditur ergo sacrificium habere vim remittendi mortalia, & venialia quoad culpam, & augendi gratiam solum mediatè, in quantum placat Deum, & ab eo impetrat, vt det auxilia etiam efficacia ad exercendos actus, per quos augetur gratia, & remittantur mortalia, & venialia, vel ex opere operantis extra sacramentum, vel ex opere operato in sacramento.

10. Potest quæri, vtrum sacrificium habeat vim obtinendi infallibiliter auxilia ad exercendos actus, per quos remittantur pec-

cata, & augetur gratia.

Respondet negatiuè contra aliquos cum communi sententia, quam sequuntur Suarius disp. 79. sect. 13. in fine, & Vasquez disp. 228. cap. 3. num. 20. Ratio est, quia, vt conferret hæc auxilia infallibiliter, deberet dari promissio Dei de illis semper conserendis; sed non inuenitur hæc promissio, ergo &c. Confirmatur: nam sacrificium non habet vim obtinendi auxilia etiam efficacia, & tamen illa non obtinet infallibiliter; ergo neque obtinet infallibiliter auxilia maiora, quam Deus daturus esset, si non offerretur sacrificium. Rursus eucharistia vt sacramentum habet vim obtinendi donum perseverantiæ, & tamen illud non obtinet infallibiliter; ergo vt sacrificium non obtinet infallibiliter subiecto non ponenti obicem auxilia maiora ijs, quæ Deus alioquin daret.

## QVÆSTIO CCIV

*Virum sacrificium eucharisticum habeat vim infallibilem remittendi proximè penam temporalem, & obtinendi alia bona temporalia?*

1. **P**osset aliquis existimare, quod sicut sacrificium eucharisticum non habet vim proximè remittendi reatum culpæ, sic non habeat vim proximè remittendi reatum poenæ, sed solum habeat vim obtinendi auxilia ad faciendos actus, per quos satisfiat pro poena, & obtineatur eius remissio. Posset præterea aliquis existimare, quod licet sacrificium eucharisticum habeat vim proximè remittendi poenam temporalem, tamen non illam remittat lege infallibili, & semper, sed cum Deo libuerit. Dominicus Sotus in 4. dist. 13. qu. 2. art. 1. & Canus lib. 12. de locis theologicis, cap. 13. existimant, quod licet sacrificium, cum applicatur pro viuis, semper certa lege remittat aliquid poenæ, tamen cum applicatur defunctis existentibus in purgatorio, non remittat poenam certam lege, sed solum per modum suffragij, prout Deo placuerit acceptare satisfactionem in sacrificio oblatam.

2. Dicendum cum communi sententia, quam pluribus auctoribus relatis, sequuntur Suarius disp. 79. sect. 6. & Vasquez disp. 228. cap. 4. sacrificium eucharisticum proximè, & certa lege remittit poenam pro quibus applicatur, seu sint viuentes, seu defuncti, si non ponant obicem. Ratio est, quia hoc sacrificium aliquem effectum debet causare proximè, & certa lege; sed ex dicta remissionem culpæ, & augmentum gratiæ non causat proximè, auxilium ad exercendos actus, per quos obtineatur remissio peccati, & augmentum gratiæ, licet causet proximè, non causat infallibiliter, & certa lege multo minus infallibiliter obtinet bona temporalia.

poralia; ergo remissionem pœnæ debet cau-  
sare infallibiliter, ac certa lege; alioquin nul-  
lum effectum causaret infallibiliter, ac certa  
lege. Ideo Tridentinum sess. 22. cap. 2. lo-  
quens de hoc sacrificio, dicit: *Quare non solum  
pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, & satisfac-  
tionibus, sed & pro defunctis in Christo nondum  
ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum tradi-  
tionem offertur.*

3. Confirmatur: nam sacrificium eucha-  
risticum subrogatum est sacrificijs mosaïcis;  
ergo sicut illa habebant vim immediatè, &  
infallibiliter purgandi à fordibus, & immun-  
ditijs legalibus, sic hoc sacrificium habet  
vim immediatè purgandi à reatu pœnæ. Ra-  
tio à priori est, quia per sacrificium eucha-  
risticum, quatenus fit nomine Christi, appli-  
cantur satisfactiones sacrificij cruenti crucis;  
ergo per talem applicationem debet immedi-  
atè, & infallibiliter remitti reatus pœnæ,  
pro quo remittendo tales satisfactiones appli-  
cantur; & quia Christus sicut dedit potesta-  
tem sacerdotibus nomine ipsius offerendi hoc  
sacrificium, sic dedit illis potestatem idem  
sacrificium applicandi, & offerendi pro viujs, &  
defunctis; ideo habet vim proximè, & certa  
lege remittendi reatum pœnæ temporalis  
tùm viujs, tùm defunctis. Si verò quærat,  
quare sacrificium eucharisticum, cum non  
solum applicet vim satisfactoriam, sed etiam  
impetratoriam sacrificij cruenti, infallibiliter  
satisfaciat, non infallibiliter impetret ea,  
propter quæ offertur, dicendum rationem  
est, quia quod oblata, & acceptata æquali  
satisfactione, remittatur pœna, videtur per-  
tinere ad iustitiam; at verò quod obtineatur  
beneficium spectat ad liberalitatem; ergo  
congruum fuit, vt daretur certa lex, vt obla-  
ta, & applicata per sacrificium eucharisticum,  
æquali satisfactiõne sacrificij cruenti, remit-  
teretur pœna; at non fuit congruum, vt da-  
retur certa lex, vt oblata impetratione, obti-  
neretur gratia, sed eius concessio relinque-  
retur liberalitati diuinæ. Videri potest Car-  
dinalis de Lugo disp. 19. sess. 9. num. 153. &  
sequentibus.

4. Addit primò idem Cardinalis de Lugo  
loco citato num. 158. ex Suario disp. 79. sect.  
6. probabile esse, quod remissio pœnæ tem-  
poralis potest per sacrificium eucharisticum  
obtineri, non solum per modum satisfactio-  
nis, sed etiam per modum impetrationis.  
Ratio est, quia sicut possumus petere, & im-  
petrare à Deo alia beneficia, sic possumus  
petere, & impetrare à Deo hoc beneficium,  
vt etiam sine satisfactione remittat pœnam  
temporalem, & ad hanc remissionem obti-  
nendam, applicare vim impetratoriam sacri-  
ficij cruenti. Remissio tamen per modum  
impetrationis non obtinetur infallibiliter ex  
ratione allata.

5. Addit secundo per sacrificium eucha-  
risticum posse obtineri etiam bona tempora-  
lia, puta sanitatem, pluiam, serenitatem &c.

Tom. III.

Probat; nam de facto ecclesia instituit spe-  
ciales missas, in quibus offeratur sacrificium  
ad obtinendam sanitatem infirmis, pacem,  
liberationem à pestilentia; ergo hæc omnia pos-  
sunt per sacrificium eucharisticum impetra-  
ri; ideoque Tridentinum sess. 22. cap. 2. do-  
cet hoc sacrificium non solum pro peccatis,  
pœnis, & satisfactionibus, sed etiam pro alijs  
necessitatibus offerri. Existimat tamen Vas-  
quez disp. 228. cap. 4. num. 43. bona tempo-  
ralia posse per sacrificium eucharisticum im-  
petrari solum, quatenus conducunt ad spiri-  
tualia. Ratio est, quia Christus non est mor-  
tuus pro obtinendis nobis bonis temporalibus  
secundum se, sed solum in quantum  
conducunt ad spiritualia.

6. Potest quæri, vtrum sacrificium eu-  
charisticum, quod Christus in cœna obtulit  
ante passionem, fuerit propitiatorium, & im-  
petratorium. Canus lib. 12. de locis theo-  
logicis in solut. 4. arg. dicit id probabiliter  
posse negari. Ratio est, quia sacrificium eu-  
charisticum de facto est impetratorium, &  
propitiatorium, quatenus offert vim satisfa-  
ctoriam, & impetratoriam sacrificij cruenti  
iam peracti; ergo &c. Dicendum nihilomi-  
nus cum communi sententia, quam sequitur  
idem Canus loco citato, Suarius disp. 74. sect. 2.  
& disp. 76. sect. 1. & Cardinalis de Lugo  
disp. 19. sect. 9. num. 161. sacrificium eucha-  
risticum, quod Christus obtulit in cœna, non  
fuisse propitiatorium, & impetratorium, non  
minus, sed magis, quam quæ offeruntur in  
ecclesia. Probat. Nam Christus nunc, cum  
non sit viator, per suam oblationem non  
meretur, nec satisfacit, sed solum applicat  
satisfactiones, & merita sacrificij cruenti; at  
in cœna cum esset viator per ipsam oblationem  
sacrificij eucharistici meruit, & satisfecit; ergo  
ex hoc capite sacrificium à Christo oblatum  
in cœna fuit magis propitiatoriũ, & im-  
petratorium, quam quæ nunc offeruntur in missa.  
Rursum sicut nunc offeruntur, & applicantur  
merita, & satisfactiones sacrificij cruenti iam  
peracti, sic Christus in cœna obtulit merita, &  
satisfactiones sacrificij cruenti paulo post  
peragendi.

## QVAESTIO CCV.

*Vtrum, & quos effectus sacrificium eucha-  
risticum causet ex opere operato,  
vel operantis?*

1. Sicut in alijs operibus, sic in oblatione  
sacrificij Eucharistici possunt conside-  
rari tria, nimirum meritum, impetratio, &  
satisfactio, ideoque de his tribus agendum,  
ac primo de merito. Certum est sacerdotem  
offerentem sacrificium eucharisticum, si illud  
offerat in statu gratiæ, voluntate honesta,  
ac supernaturali, mereri sibi de condigno  
augmentum gratiæ, & gloriæ, & alijs, pro  
quibus offert, mereri de congruo plura bo-

Y y

na,

na, & beneficia. Certum rursus est Christum, qui est principalis offerens, pro hoc statu non mereri; cum non sit amplius viator. Certum praterea est eos, qui cum sacerdote offerunt sacrificium, mereri per illos actus bonos, quibus ad sacrificium offerendum concurrunt. Quæritur, vtrum Ecclesia, cuius nomine offertur sacrificium, per eius oblationem mereatur?

2. Gabriel, Couarruias, & Sotus, quos citat Vasquez disp. 229. cap. 1. affirmant ecclesiam per oblationem sacrificij mereri. Dicendum tamen cum Vasquez, cap. 2. quod Ecclesia non meretur merito distincto ab actibus bonis sacerdotis, & aliorum offerentium, ac proinde quod si neque sacerdos, neque ullus alius exerceat vllum actum bonum, nullum est meritum in oblatione sacrificij eucharistici. Ratio est, quia ille solum meretur, qui exercet aliquem actum liberum, & meritorium; sed actiones sunt singularium, ac proinde sola singularia exercere possunt actus liberos, & meritorios; ergo sola singularia possunt mereri; ergo si sacerdos, & alij offerentes nullum exerceant actum liberum, & meritorium, nullum datur meritum in oblatione sacrificij, ac Ecclesia non denominatur merens, siquidem non denominatur merens per aliquam actionem, nisi in quantum aliquod eius membrum exercet illam actionem actu formaliter meritorio. Confirmatur, nam si tota Ecclesia mereretur per oblationem sacrificij; sequeretur, quod singuli iusti, dum offertur sacrificium missæ, etiamsi de illo non cogitent, sed dormiant, mererentur sibi, & alijs: quod est absurdum.

3. Quoad vim impetratoriam, certum est, quod oblatio sacrificij, in quantum est actio sacerdotis, si fiat cum debitis circumstantijs, habet vim impetratoriam ex opere operantis. Certum rursus est, quod habet aliam etiam vim impetratoriam, quatenus ex Christi institutione est applicatiua impetrationis sacrificij cruenti. Quæritur, vtrum habeat etiam tertiam vim impetrandi ratione Ecclesiæ, cuius nomine à sacerdote offertur. Respondendum affirmatiue, vt docet Vasquez, disp. 229. cap. 2. num. 9. Ratio est, quia quod offertur ad aliquid impetrandum, non solum habet vim impetrandi ratione offerentis, sed etiam ratione eius, cuius nomine offertur; ergo sacrificium eucharisticum, cum offeratur nomine ecclesiæ, habet specialem vim impetratoriam ratione ecclesiæ. Hinc sequitur, quod etiamsi sacrificium non sit impetratorium ratione sacerdotis, vtpotè qui indignè offert, tamen est impetratorium, non solum ratione Christi, sed etiam ratione ecclesiæ.

4. Quæritur, vtrum quo sanctior est ecclesia militans, hoc est quo plures, & magis sancti in ea sunt, eo sacrificium eucharisticum sit magis impetratorium ratione ecclesiæ? Respondeo probabilem mihi esse partem affirmatiuam, vt docet Vasquez disp. 229. cap. 4.

num. 10. Ratio est, quia quo sacerdos offerens est sanctior, eo sacrificium est magis impetratorium ratione sacerdotis offerentis, vt docet Alexander Papa, Epistola 2. & refertur can. *Ipsi sacerdotes quanto digniores fuerint, tanto facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur*; ergo etiam ecclesia, cuius nomine sacrificium offertur, quo sanctior est, eo facilius exauditur.

5. Quoad vim satisfactoriam, certum est sacerdotem offerentem, si adsint debita circumstantiæ, satisfacere ex opere operantis, proportionaliter, ac satisfacit, dando elemosynam, & exercendo alia opera pia. Certum etiam est sacrificium eucharisticum esse etiam propitiatorium, & satisfactorium ratione diuinæ institutionis, qua per illud applicatur satisfactio sacrificij cruenti. Quæritur, vtrum habeat etiam specialem vim satisfactoriam ratione ecclesiæ.

Respondeo negatiue, proportionaliter ac num. 2. dixi de merito. Ratio est, quia vt ecclesia satisfaciatur ratione sui, debet facere opus poenale, & afflictiuum; sed ecclesia facit solum opus poenale, & afflictiuum ratione sacerdotis, & aliorum offerentium; ergo satisfacit solum ratione singularium offerentium, ac proinde non datur vis satisfactoria ratione ecclesiæ distincta à satisfactioe ratione offerentium.

6. His suppositis, quandoquidem sacrificium eucharisticum est propitiatorium, & impetratorium, non solum ratione offerentis, sed etiam ex ipsa institutione Christi, quæritur, vtrum omnes effectus, quos causat ratione institutionis Christi, seu causet illos ex certa lege, seu non causet certa lege, causet ex opere operato. Quæstio est de nomine. Vasquez disp. 229. cap. 4. nu. 11. affirmat. Cardinalis de Lugo disp. 19. sect. 9. num. 159. negat. Probabilior videtur sententia affirmatiua. Ratio est, quia omnes effectus, quos sacramenta, & sacrificia causant ex diuina institutione supra meritum operantis, & prescindo à merito ministri, seu cauent semper, & infallibiliter, seu non, causant ex opere operato nomine Christi; ergo &c.

7. Dices ex Cardinali de Lugo; sequeretur, quod cum reliquiæ alicuius sancti sine villo merito applicantis causant in aliquo ægroto sanitatem, causarent illam proprie ex opere operato.

Respondeo, negando sequelam. Nam reliquiæ non sunt institutæ ad finem causandi sanitatem; at sacramenta, & sacrificium missæ sunt instituta ad finem causandi nobis auxilia &c. sed illa solum dicuntur causare aliquem effectum ex opere operato, quæ sunt instituta ad talem effectum causandum; ergo &c.

## QVAESTIO CCVI.

*Virum valor sacrificij eucharistici sit infinitus?*

**C**um egerimus de effectibus, sequitur, ut agamus de valore sacrificij eucharistici, & vt examinemus, vtrum sit finitus, vel infinitus.

Prima sententia Durandi in 4. dist. 45. quæst. 3. ad 3. Maioris qu. 1. Scoti Quodlibeto. 30. Parag. de secundo articulo, Gabrielis lect. 27. in Can. Missæ, Soti lib. 9. de iustitia, & Iure, qu. 2. art. 2. concl. 2. & aliorum, quos referunt Suarius disp. 79. lect. 9. & Vasquez disp. 230. cap. 1. docet sacrificium eucharisticum quacunque ratione considerationis finiti solum valoris esse.

2. Secunda sententia communior Caietani 3. par. qu. 79. art. 5. & tom. 2. opusc. tit. 3. quæst. 2. Syluestri in summa, verbo *Missæ*, qu. 9. Cani lib. 12. de locis Theologicis, cap. 13. & aliorum, quos referunt, & sequuntur Suarius, disp. 79. lect. 9. & Vasquez disp. 230. cap. 2. docet valorem sacrificij eucharistici quoad sufficientiam esse infinitum, quoad efficaciam esse finitum tantum, eo quod causet effectum solum finitum. Non conueniunt tamen in explicando, vnde nam desumatur infinitus valor huius sacrificij. Caietanus, Canus, & quidam alii dicunt sacrificium hoc esse finiti valoris ratione rei oblatæ, quia nimirum in eo offertur res infinite Deo grata, hoc est ipse Christus. Suarius docet esse finiti valoris, non solum ratione rei oblatæ (infinitas enim rei oblatæ non sufficit ad oblationem infinite dignificandam) sed etiam ratione infinite dignitatis principalis offerentis, qui est Christus se proximè, & immediatè offerens. Vasquez docet sacrificium hoc habere valorem infinitum, non ratione rei oblatæ, quæ non sufficit ad oblationem infinite dignificandam, neque ratione immediati offerentis, qui est sacerdos purè creatus, sed ratione institutionis, qua fuit ita institutus à Christo, vt illi applicans merita infinita sacrificij cruenti, infinite illud dignificauerit, ita vt haberet sufficientiam ad impetranda beneficia maiora, & maiora sine termino, & ad satisfaciendum pro peccatis maioribus, & maioribus sine termino.

3. Dicendum primo contra primam sententiam: sacrificium eucharisticum quoad sufficientiam est finiti valoris, quoad efficaciam autem est valoris solum finiti, cum causet solum finitum effectum.

Probatur primo ex Cano. Nam si sacrificium eucharisticum esset solum finiti valoris, quo plures offerrent idem sacrificium, eo minorem in ijs effectum produceret, quod est falsum. Nam cum plures sacerdotes nouiter ordinati consecrant simul cum Episcopo, æqualem effectum sacrificij recipiunt singuli, ac si soli consecrarent; & quia sacerdotes si-

mul consecrantes possunt esse plures, & plures in infinitum, potest causare in offerentibus, & consecrantibus effectum extensiuè maiorem, & maiorem in infinitum; sed causa, quæ potest eodem instanti causare effectum extensiuè maiorem, & maiorem in infinitum, habet valorem, & virtutem infinitam; ergo &c.

4. Probatur secundo ex Vasquez. Nam causa, quæ potest causare effectum intensiuè maiorem, & maiorem in infinitum, habet valorem, & virtutem infinitam; sed sacrificium eucharisticum in offerente, & in ijs, pro quibus offertur, potest causare effectum intensiuè maiorem, & maiorem in infinitum; ergo &c. Probatur minor: nam in offerentibus, & in ijs, pro quibus offertur, causat effectum maiorem, & maiore, prout est maior dispositio, & deuotio offerentium, vel eorum, pro quibus offertur; ergo si dispositio sit maior, & maior in infinitum; potest causare effectum maiore, & maiore in infinitum; sed virtus, quæ potest causare effectum syncategorematicè infinitum, hoc est maiorem, & maiorem sine termino, est categorematicè infinita: ex. gr. si Sol posset producere lumen maius, & maius in infinitum, haberet virtutem illuminatiuam categorematicè, & actu infinitam; ergo &c.

5. Inferitur etiam sacramenta habere valorem sanctificandi categorematicè infinitum quoad sufficientiam, cum possint causare gratiam maiorem, & maiorem, iuxta maiorem, & maiorem dispositionem subiecti. Differunt tamen à sacrificio, quod idem numero sacrificium, non solum potest causare effectum intensiuè maiorem, & maiorem, sed etiam extensiuè maiorem, & maiorem, si offeratur à pluribus, & à pluribus; at idem numero sacramentum, cum possit ab vno tantum sumi, non potest causare effectum extensiuè maiorem, & maiorem. Si tamen eadem numero hostia replicaretur, ita vt sumeretur à pluribus, & pluribus, posset idem numero sacramentum eucharistiæ causare effectum etiam extensiuè maiore, & maiorem.

6. Dicendum secundo ad hoc, vt valor sacrificij sit infinitus, non sufficit, vt per illud offeratur res finiti valoris, hoc est Christus. Probatur: nam sequeretur, quod oblatio sacrificij eucharistici, in quantum est præcisè à sacerdote, esset finiti valoris, siquidem offertur res infinita, quod est falsum, & communiter negatur; ergo &c. Confirmatur: nam ipsum sacrificium cruentum crucis, in quantum offerebatur à Magdalena ex. gr. vel Ioanne, non fuit finiti valoris; ergo ad infinitum valorem sacrificij non sufficit, vt res oblatæ sit infinita.

7. Dicendum tertio: sacrificium eucharisticum est finiti valoris, quia non solum res oblatæ est infinita, sed etiam Christus offerens est persona infinite digna, & dignificat oblationem infinite, applicando illi infinitam virtutem

tutem sacrificij cruenti. Probatur. Vt enim quæst. 198. num. 5. dictum est contra Vasquez, Christus in sacrificio eucharistico non solum se remote offert ratione institutionis, sed etiam proximè; ergo oblatio infinitè dignificatur ratione personæ offerentis; sed etiam applicat sacrificio eucharistico infinitam virtutem suæ passionis; ergo infinitè dignificatur etiam ratione huius applicationis.

8. Opponi potest ex Sotoj citato num. 1. si sacrificium eucharisticum esset infiniti valoris; æquaretur sacrificio cruento crucis; quod est absurdum.

Respondeo, distinguo; æquaretur sacrificio crucis in hoc præcisè, quod habeat infinitum valorem, concedo; quoad modum habendi, nego. Sacrificium eucharisticum æquatur sacrificio crucis in hoc præcisè, quod utrumque habeat infinitum valorem, non quoad alia, ac præsertim quoad modum habendi. Sacrificium enim crucis fuit infinitè meritorium, & satisfactorium, adeoque fuit causa vniuersalis remissionis peccatorum, & totius nostræ sanctificationis, iuxta illud Pauli ad Hebr. 10. *Vna oblatione consummavit in sempernum sanctificatos.* At sacrificium eucharisticum ex se non est meritorium, neque satisfactorium, solum est applicatiuum meriti, & satisfactionis sacrificij cruenti, à cuius applicatione habet infinitum valorem in ordine ad satisfaciendum pro pœnis maioribus, & maioribus, & ad impetranda beneficia maiora, & maiora, proportionaliter ad deuotionem eorum, pro quibus offertur, vt explicatum est.

9. Opponit secundo; sacrificium eucharisticum non est causa vniuersalis nostræ salutis, sed est causa solum particularis, determinans sacrificium cruentum, quod est causa vniuersalis ad cauendos determinatos effectus, proportionaliter, ac determinant sacramenta; ergo sicut sacramenta, quia sunt causæ particulares, non sunt infiniti valoris, sic sacrificium eucharisticum non est infiniti valoris.

Respondeo, negando suppositum consequentis, & retorquendo argumentum. Sacramenta enim, quia possunt causare effectum maiorem, & maiorem, iuxta maiorem, & maiorem deuotionem subiecti, habent infinitum valorem; ergo etiam sacrificium ex eadem ratione. Licet igitur sacrificium eucharisticum, & sacramenta sint causæ particulares, tamen quia ab applicatione causæ vniuersalis habent virtutem determinandi ad effectus maiores, & maiores, habent in tuo genere infinitum valorem quoad sufficientiam, licet de facto causent effectus solum finitos.

10. Opponit tertio Sotoj S. Thomam, qui quæst. 79. art. 5. loquens de sacrificio eucharistico, dicit: *Quamuis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ deuotionis,*

*et non pro tota pœna; ergo iuxta S. Thomam mensura valoris desumitur ex deuotione offerentis, & eius, pro quo offertur; sed hæc est finita; ergo valor est finitus.*

Respondeo, retorquendo argumentum. Eo enim ipso, quod potest causare effectum maiorem, & maiorem, iuxta deuotionem maiorem, & maiorem, sequitur, quod ex se habeat valorem, & virtutem infinitam, quod indicat S. Thomas, dicens hanc oblationem ex sui quantitate sufficere ad satisfaciendum pro omni pœna, nimirum maiori, & maiori.

11. Opponit quarto. Sequeretur, quod sacrificium missæ, cum applicatur pluribus, tantum singulis prodesset, quantum si applicaretur vni tantum. Sed de hoc dubio agendum est iam.

## QVÆSTIO CCVII.

*Virum sacrificium eucharisticum pluribus applicatum, ita singulis prodest, ac si applicaretur paucioribus, vel vni tantum?*

1. Prima sententia Caietani 3. p. qu. 79. art. 5. & tom. 2. opusc. tract. 3. qu. 2. & aliorum, quos refert, & sequitur Vasquez disp. 231. cap. 2. docet sacrificium Eucharisticum, cum pluribus applicatur, ita singulis prodesse ex opere operato, ac si paucioribus, aut vni tantum applicaretur.

2. Secunda sententia S. Bonauenture in 4. dist. 45. art. 2. qu. 3. Richardi, Durandi, Scoti, aliorumque, quos refert Vasquez disp. 231. cap. 1. docet sacrificium eucharisticum, cum offertur pro pluribus, non ita singulis ex opere operato prodesse, ac si paucioribus, vel vni tantum applicaretur, sed fructum diuidi inter plures. Sequuntur hanc sententiam Suarez disp. 79. sect. 12. Cardinalis de Lugo disp. 19. sect. 12. & alij.

3. Dicendum primò; sacrificium Eucharisticum ex opere operantis, & in quantum offertur nomine Ecclesiæ, cum offertur pro pluribus, minus singulis prodest, quam si offeratur pro vno tantum; & cum offertur pro pluribus, minus singulis prodest, quam si offeratur pro paucioribus. In hac conclusione conueniant ferè auctores vtriusque sententiæ. Ratio est, quia sacrificium Eucharisticum ex opere operantis, & in quantum offertur nomine Ecclesiæ, habet valorem solum finitum, finitamque impetrationem, & satisfactionem; ergo si illa finita impetratio, & satisfactio in plures diuidatur, minus singulis prodest, quam si tota applicetur vni; & si diuidatur in plures, minus singulis prodest, quam si diuidatur in pauciores; sed cum applicatur pluribus, diuidatur in plures; ergo &c.

4. Opponi potest primò; res spiritualis, licet sit finita, propter suam spiritualitatem est

nota in toto, & tota in qualibet parte; ergo fructus spiritualis sacrificij, etiam ex opere operantis debet esse totus, & æqualis in singulis, quibus applicatur.

Respondeo, negando consequentiam. Disparitas est, quia ideo res spiritualis est tota in toto, & tota in qualibet parte, quia eadem numero, & indiuisibilis est in toto, & in qualibet parte; sed fructus spiritualis sacrificij non est idem numero, & indiuisibilis, sed alius est fructus, quem percipit Petrus, alius, quem percipit Paulus; ergo &c.

5. Opponi potest secundo: lucerna, cum illuminat plures, non minus illuminat singulos, quàm cum illuminat pauciores, aut vnũ tantum; ergo sacrificium, cum prodest pluribus, non minus singulis prodest, quam cum vni tantum.

Respondeo, negando consequentiam, & retorqueo argumentum. Sicut enim cum luminoso applicatur ita, vt totam lucem, debeat producere in puncto reflexionis, vel refractionis, maiore in eo lucem producit, quam si lucem diuidat in plura puncta, sic in casu nostro.

6. Dicendum secundo: sacrificium Eucharisticum ex opere operato, & in quantum offertur nomine Christi, aliquem effectum generalem producit æqualiter in singulis, cū offertur pro pluribus, ac cum pro vno tantum, vel pro paucioribus. Probatur ex Caietano tom. 2. opusc. tract. 3. & Vasquez disp. 231. cap. 3. num. 16. Nam vt constat ex illis verbis Canonis, *Quam tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta &c. Papa nostro N. & omnibus orthodoxis &c. Memento Domine famulorum, famularumque tuarum NN. & omnium circumstantium &c. pro quibus tibi offerimus &c.* semper sacrificium eucharisticum offerimus pro pluribus, immò pro omnibus, & possumus offerre distinctè, & nominatim pro tot, pro quot volumus; ergo si non esset aliquis fructus sacrificij, qui non minueretur in singulis, ex eo, quod sacrificium offeratur pro alijs, seũ sint plures, seũ pauciores, ex hac oblatione vnũuersali sequeretur, quod is, pro quo sacrificium specialiter offertur, pateretur magnum detrimentum, & diminutionem fructus: quod est absurdum, & contra sensum communem. Sequeretur etiam, quod quo plures sunt in Ecclesia, eo minor sacrificij fructus perueniret ad singulos; ergo ne concedamus hæc absurda, fieri debemus aliquem effectum generalem produci æqualiter in singulis, cum offertur pro pluribus, ac cum pro paucioribus, aut pro vno tantum.

7. Dicendum tertio: sacrificium eucharisticum ex opere operato producit aliquem effectum specialem, non æqualiter in singulis, cum offertur pro singulis, ac cum offertur pro omnibus, vel pro vno tantum.

Probatur: nam alioquin sacerdotes deberent semper habere intentionem applicandi totum fructum sacrificij ex opere operato

omnibus, qui sunt eius capaces; siquidem ex hac applicatione fructus sacrificij ita extendetur ad plures, immò ad omnes, vt non minus prodesset singulis; sed est absurdum, & contra praxim communem, quod fructus sacrificij ex opere operato applicetur omnibus; ergo &c.

8. Sed potest quæri, quinam sit ille effectus generalis, qui æqualis producit in singulis, cum sacrificium offertur pro pluribus, vel pro vno tantum, & quinam sit ille effectus specialis, qui non æqualiter producit in pluribus, ac in vno tantum?

Possent aliqui existimare impetrationem esse effectum generalem, qui non minuitur in singulis ex eo, quod sacrificium offeratur pro pluribus, satisfactionem autem esse effectum specialem, qui minuitur. Sed contra: nam sequeretur, quod semper sacerdotes deberent habere intentionem applicandi impetrationem sacrificij ex opere operato æquè pro omnibus; quod est contra praxim communem.

9. Dicendum igitur, quod vterque effectus sacrificij, nimirum impetratio beneficiorum, & satisfactio pro pœnis, est duplicis generis; alter generalis, qui non minuitur in singulis ex eo, quod sacrificium applicetur pro pluribus; alter specialis, qui minuitur in singulis. Hunc effectum specialem potest sacerdos ex sua intentione, vel applicare pluribus, itaut in singulis minuatur, vel applicare vni tantum, itaut ille habeat totum hunc effectum. Congruum autem fuit, vt sacrificium haberet vim producendi vtrumque effectum, ad hoc, vt ita semper esset bonum commune, vt etiam posset esse bonum particulare aliquis. Cū igitur obligamur applicare missam vni tantum, obligamur ad illi applicandum totum hunc effectum specialem, licet effectum generalem possimus iuxta formam Canonis æquè applicare omnibus. Confirmatur autem hæc sententia: nam conciliat fundamenta tum primæ, tum secundæ sententiæ, & facile soluit argumenta, quæ contra vtramque proponuntur. Hinc patet, quare qui accipit eleemosynam pro missa, non potest illam applicare alteri. Ratio est, quia accepta eleemosyna, tenetur ex iustitia ad applicandum danti totum fructum specialem sacrificij, qui fructus minuitur, si sacrificium applicetur etiam alteri.

## QUÆSTIO CCVIII.

### De applicatione sacrificij.

1. **S**uperest vt agamus de applicatione sacrificij, ac de dispositione requisita in ijs, pro quibus offertur, vt recipiant fructum sacrificij.

Primò igitur quæri potest, vtrum fructus sacrificij pendeat ab applicatione?

Re-

Respondeo affirmatiuè. Sacrificium enim ex opere operato non prodest, nisi illi, pro quo offertur; sed quod pro aliquo offeratur, pendet ab intentione, suè applicatione offerentis; ergo &c. Confirmatur: nam sicut sacramentum pendet ab intentione ministris, sic sacrificium, eiusque fructus ex opere operato pendet ab eo, quod sacerdos pro illo sacrificium offerat. Hinc sequitur sacrificium ipsi offerenti ex opere operato non prodesse, nisi pro se offerat.

2. Queritur secundo, à cuius applicatione pendeat fructus sacrificij.

Respondeo, quod ab applicatione ministris, hoc est sacerdotis. Ratio est, quia sacerdos sacrificans ita est minister sacrificij, sicut qui sacramentum conficit est minister sacramenti; ergo sicut sacramentum pendet ab intentione conficientis, sic fructus sacrificij pendet ab intentione sacrificantis. Hinc sequitur, quod licet etiam alij sacrificium offerant largiori quodam modo, & conentur illud applicare pro se, vel pro alijs, tamen si sacerdos non applicet, frustra sit aliorum applicatio in ordine ad recipiendum fructum sacrificij ex opere operato, licet profit in ordine ad fructum ex opere operantis.

3. Queritur tertio, utrum fructus sacrificij pendeat à voluntate, & applicatione debita, hoc est, quam sacerdos debet habere, an potius à voluntate, & applicatione elicitâ, hoc est quam sacerdos actu habet?

Respondeo tres esse sententias. Prima, Scoti quodlib. 20. Parag. de secundo articulo, & Gabrielis in Can. Missæ lect. 26. littera P. & Q. docet fructum sacrificij pendere à voluntate debita, ita ut si sacerdos ex contractu, promissione, vel ex obedientia teneatur applicare sacrificium pro vno, & applicet pro altero, profit illi, pro quo debet applicari, non autem illi, pro quo actu applicatur.

Secunda sententia aliorum docet, quod si sacerdos debebat ex iustitia applicare vni, & applicat alteri, prodest illi, pro quo applicatur actu, non autem illi, pro quo debebat applicari. At si ex obedientia debebat applicari vni, & applicatur alteri, prodest illi, pro quo debebat ex obedientia applicari, quia voluntas superioris, quæ censetur voluntas Christi, præualet voluntati sacerdotis, qui est minister Christi.

4. Dicendum cum tertia sententia communi, quam sequitur Vasquez disp. 231. cap. 6. sacrificium prodesse illi, cui de facto applicatur à sacerdote, non autem illi, cui debebat applicari, sed non applicatur. Ratio est, quia minister sacrificij proportionaliter se habet, ac minister sacramenti; sed sacramentum pendet à voluntate, & intentione, quam minister actu habet, non autem à voluntate, quam debet habere; ergo etiam sacrificium, & eius applicatio. Christus enim voluit quoad hoc, ut intentio ministris sit moraliter intentio ipsius Christi, & quoad hoc non pendeat à voluntate vllius alterius superioris.

5. Queritur quarto, utrum cum plures sacerdotes simul consecrant, & offerunt vnum sacrificium, vnusquisque possit illud applicare?

Respondeo affirmatiuè cum Vasquez disp. 231. cap. 6. num. 40. siquidem tunc omnes sunt ministri. Adde tunc illud sacrificium esse virtualiter multiplex quoad effectum, ita ut tantum causet effectum, quantum si singuli offerrent sacrificium distinctum, tum quia sunt plures oblationes, tum quia cum sacrificium habeat valorem infinitum, ut dictum est qu. 85. num. 3. non est ratio, cur non possit vnusquisque applicare fructum integrum talis sacrificij.

6. Queritur quinto, utrum cum in missa iuxta formam Canonis sacerdotes applicent sacrificium pro omnibus viujs, & defunctis, applicent solum impetrationem, an etiam satisfactionem?

Respondeo probabilius esse, ut docet Vasquez disp. 231. cap. 6. nu. 35. quod applicetur non solum impetratio, sed etiam satisfactio generalis. Ratio est, quia offertur sacrificium, non solum in quantum est impetratorium, sed etiam in quantum est propitiatorium, seu satisfactorium; ergo applicatur non sola impetratio, sed etiam satisfactio generalis, licet specialis relinquatur applicanda pro libito sacerdotis. Confirmatur ex verbis Canonis, quæ videntur applicare sacrificium, non magis ut impetratorium, quam ut satisfactorium.

7. Queritur sexto, utrum sacrificium magis profit illis, quibus applicatur voluntate magis distincta, & speciali. Affirmat Vasquez loco citato; sed mihi probabilior est pars negatiua. Sicut enim effectus sacramenti ex opere operato non pendet ab intentione magis, vel minus explicita, sic nec effectus sacrificij. Solum igitur effectus specialis pendet ab intentione, qua sacerdos vult applicare solum totum, vel partem eius minorem, aut maiorem, siquidem ille, ut diximus, potest conferri vel totus vni, vel diuidi in plures, iuxta voluntatem, & intentionem sacerdotis.

## QVÆSTIO CCIX.

De dispositione requisita in ijs, pro quibus sacrificium offertur.

1. **C**irca dispositionem quaeri potest primo, utrum ad recipiendum fructum huius sacrificij requiratur ut necessaria dispositio, quod is, pro quo offertur, sit baptizatus?

Respondeo, quod requiritur ad recipiendum fructum directè, non autem ad recipiendum indirectè. Et quia ex dictis qu. 20. num. 7. fructus, satisfactionis applicatur immediate, & directè, fructus impetrationis applicatur solum mediâtè, & indirectè, ideo illi

recipiendum fructum satisfactionis requiritur sacrificium, non autem ad recipiendum fructum impetrationis.

2. Quæritur secundo, vtrum ad recipiendum fructum sacrificij requiratur vt dispositio status viæ?

Respondeo negatiuè, siquidem applicatur non solum pro viuus, sed etiam pro defunctis?

3. Quæritur tertio, vtrum requiratur status gratiæ?

Respondeo, quod ad recipiendum fructum impetrationis non requiritur, siquidem dictum est effectum sacrificij esse etiam remissionem peccati mortalis, primam gratiam, & auxilia ad faciendos actus, quibus obtineamus remissionem mortaliū, & primam gratiam.

4. Quæritur quarto, vtrum ad recipiendum fructum satisfactionis, ac remissionis poenæ pro peccatis iam remissis quoad culpam, requiratur status gratiæ?

Respondeo duas esse sententias. Prima Scoti, & aliorum docet eum, qui existit in peccato mortali, posse tum in hac vita, tum in futura, soluere poenam temporalem per satisfactionem, vel satisfactionem pro peccatis iam remissis quoad culpam. Ex hac videtur sequi posse illis sacrificium missæ prodesse ad hunc effectum remittendi poenam temporalem, licet vt dicit Vasquez, nullus hoc expressè docuerit.

Secunda sententia communis S. Thomæ in 4. dist. 12. qu. 2. art. 2. qu. 2. ad 4. Soti lib. 10. de Iust. & Iure qu. 2. art. 2. ad 3. & aliorum, quos refert, & sequitur Vasquez, docet existentem in peccato mortali non posse per illam satisfactionem, vel satisfactionem obtinere remissionem vilius poenæ, ac proinde neque per applicationem sacrificij. Iuxta hanc igitur sententiam dicendum dispositionem necessariam ad obtinendam ex sacrificio remissionem poenæ temporalem esse, vt qui debet illam obtinere, sit in statu gratiæ. Vide Vasquez disp. 232. cap. 7. num. 44.

5. Quæritur quinto, vtrum ad recipiendam remissionem poenæ temporalis virtute sacrificij, sufficiat status gratiæ, vel requiratur aliqua alia dispositio, puta aliqua deuotio æqualis?

Respondeo, quod vt cum communi sententia docet Vasquez loco citato, sufficit status gratiæ, nec requiritur vlla actualis deuotio, nec impedit peccatum veniale actuale. Ratio est, quia sacrificium potest offerri etiam pro ignorantibus, & nullo modo cooperantibus.

6. Quæritur sexto, vtrum sacrificium eo maiorem effectum causet in eo, pro quo offertur, quo ille melius est dispositus ad recipiendum effectum sacrificij.

Respondeo affirmatiuè cum communi sententia, quam sequitur Vasquez loco citato. Ratio est, quia causa in subiecto melius

disposito, producit maiorem effectum. Et confirmatur paritate sacramenti, quod subiecto melius disposito confert maiorem gratiam.

7. Quæritur septimo, in quo consistat melior dispositio, qua is, pro quo sacrificium offertur, determinatur ad recipiendum maiorem effectum.

Respondeo, quod est deuotio, non quæcumque, sed quam is, pro quo offertur, habet, vel habuit ad hoc sacrificium: alia enim deuotio videtur esse impertinens, vt ex Caietano docet Vasquez, disp. 232. cap. 7. num. 49. & colligitur ex S. Thoma quæst. 79. art. 5. per hæc verba. *Quamuis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem deuotionis.* Qui igitur habet maiorem gratiam habitualem, ex hoc præcisè non recipit maiorem fructum sacrificij. Licet autem effectus pendeat ab intentione offerentis, tamen non augetur ei, pro quo offertur, ex maiori offerentis deuotione. Illi, qui non habet vllum reatum poenæ, non remittitur vlla poena. Neque enim potest remitti poena pro peccatis nondum factis.

QVAESTIO CCX.

*Virum sacerdotes teneantur aliquoties in anno celebrare?*

*S. Th. q. 82. art. 10. & qu. 83. art. 2.*

1. **V**T magis explicetur doctrina S. Thomæ art. 2. q. 83. & art. 10. qu. 82. de quatuor est agendum: primo de obligatione, & frequentia celebrandi: secundo de diebus, quibus licet, vel prohibitum est celebrare: tertio de hora celebrandi: quarto demum de celebratione plurium missarum eadem die, de qua agit S. Thomas quæst. 83. art. 2. in responsione ad 5.

Quæritur igitur primo, vtrum sacerdotes obligentur ad aliquoties celebrandum?

Respondeo duas esse sententias. Prima Alexandri, S. Bonaventuræ, Caietani, & aliorum, quos referunt Suarius disp. 80. sect. 1. & Vasquez disp. 232. cap. 1. num. 1. docet, secluso scandalo, & obligatione proueniente ex beneficio, Capellania &c. non obligari sacerdotes ad celebrandum, adeoque posse sine peccato per totam vitam à celebratione cessare. Suarius fatetur hanc sententiam esse probabilem, & nullum contra illam argumentum vrgere, in eamque inclinât Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 1.

2. Secunda sententia S. Thomæ 3. parte quæst. 82. art. 10. vtriusque Soti, & Paludani, Maioris, aliorumque, quos referunt, & sequuntur.

quuntur Suarius, & Vasquez loco citato, docet sacerdotem ex vi præcisa suæ ordinationis obligari ad aliquoties celebrandum, adeoque peccare, si aliquoties non celebret.

3. Dicendum cum secunda sententia: sacerdotes per se obligantur ad aliquoties celebrandum, adeoque si nunquam celebrent, peccant. Probatum primo ex Tridentino sess. 22. cap. 1. in quo loquens de Christo, qui in ultima cæna eucharistiam instituit, & Apostolos sacerdotes ordinavit, dicit: *Et isdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem*; idemque docet can. 2. ergo iuxta Tridentinum Christus præcepit sacerdotibus, ut aliquando sacrificium offerrent. Probatum secundo ratione, quam S. Thomas affert quæst. 82. art. 10. in corpore. Nam unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, iuxta illud Apostoli 1. ad Corint. 6.  *Videte, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, sed opportunitas sacrificandi desumitur, non solum per ordinem ad fideles, quibus oportet sacramenta ministrari, sed etiam per ordinem ad Deum, cui offertur sacrificium eucharisticum; ergo etiam si sacerdos non habeat curam animarum, debet aliquando Deo sacrificium offerre, ideoque 2. Machab. 4. contra quosdam sacerdotes dicitur, quod iam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo, & sacrificiis neglectis; & Ambrosius in quadam oratione dicit: *gravius est, quod dum peccata metuimus, etiam sacrificia non reddamus*. Confirmatur: nam Pius V. iussit abradi eam partem Commentarii in art. 10. quæst. 82. in qua Caietanus negabat dari hanc obligationem: ergo signum est, quod illam opinionem Caietani existimavit improbabilem.*

4. Quæritur secundo, utrum hoc præceptum obliget sub mortali, an solum sub veniali?

Respondeo cum communiori sententia, quam sequitur Vasquez, quod obligat sub mortali. Ratio est, quia præceptum de re graui obligat sub mortali; sed præceptum aliquoties celebrandi est de re graui; ergo obligat sub mortali. Confirmatur: nam sicut præceptum communionis Paschalis, cum sit de re graui, obligat sub mortali, sic præceptum aliquoties celebrandi, cum sit de re graui, obligat sub mortali?

5. Quæritur tertio, utrum sacerdotes obligentur ad quotidie celebrandum?

Respondeo negatiuè cum omnibus Theologis contra aliquos Iurisperitos, quos rejicit Syluester, verbo *Missæ* 1. quæst. 9. Ratio est, quia nullum est fundamentum huius obligationis ad quotidie celebrandum. Et confirmatur ex praxi; siquidem plurimi sacerdotes timorata conscientia non quotidie celebrant.

6. Quæritur quarto, quoties in anno, vel ipa vita sacerdotes celebrare teneantur?

Respondeo doctores communiter censere, quod obligentur ad celebrandum quater, aut quinquies singulis annis, idemque videtur sequi ex opinione S. Thomæ, qui docet, quod tenentur celebrare, saltem in præcipuis festiuitatibus, in quibus fideles communicare consueverunt, quæ festiuitates sunt quatuor, aut quinque: Paschæ nimirum, Pentecostes, Natalis Domini &c.

7. Quæritur quinto, utrum detur obligatio determinata sacrificandi in præcipuis festiuitatibus Paschæ, Pentecostes &c. Respondeo non dari, cum nullibi inueniatur hoc præceptum diuinum, vel Ecclesiasticum. S. Thomas dicens, quod obligantur celebrare in præcipuis festis, debet intelligi, nisi aliis diebus quater, aut quinquies celebrando, hanc obligationi satisfecerint. Videri potest Vasquez disp. 232. cap. 1. Tridentinum tamen consultit ad celebrandum saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus. Nam sess. 22. cap. 14. dicit: *Curet Episcopus, ut ii, nimirum sacerdotes, saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisficiant, missas celebrent.*

8. Aduertit autem Vasquez [disput. 232. cap. 1. in fine, multo magis expedire sacerdotibus frequentius celebrare, quam laicis frequentius communicare; neque ad celebrandum quotidie eam in sacerdotibus requiri sanctitatem, quæ requiritur in laicis ad communicandum quotidie, vel bis in hebdomada; siquidem sacrificare conuenit sacerdotibus ex officio, non solum in suam, sed etiam in communem populi utilitatem.

9. Potest opponi exemplum aliquorum sanctorum Patrum, qui cum essent sacerdotes, vixerunt in solitudine, ac nunquam, vel saltem per plures annos non celebrarunt.

Respondeo, quod primo illi non erant sacerdotes. Secundo dico, quod S. Paulus Heremita, & quidam alij non solum non celebrarunt, sed neque eucharistiam susceperunt; ergo argumentum probaret nequæ dari præceptum sumendi aliquoties eucharistiam. Tertio dico, quod illi multa fecerunt ex speciali Dei instinctu, quæ sine speciali instinctu non possunt licitè fieri.

## QVAESTIO CCXI.

### Quibus diebus liceat celebrare?

1. **C**ontrouersia est solum de tribus vel quatuor diebus hebdomadæ maioris; siquidem constat apud omnes cæteris omnibus anni diebus posse celebrari, ut patet ex canone *de consecratione*, & ex canone *iterum de consecratione*. diit. 2.

Quæritur igitur, utrum feria quinta maioris hebdomadæ possit celebrari missa?

Respondeo Marcellum Francolinum lib. de horis Canonicis, cap. 30. num. 4. docuisse ea die non posse alium celebrare, quam Præpositum Ecclesiarum, idque probat solam ex consuetudine, quam conatur colligere ex libro, cui Titulus *Ordo Romanus*, ex Alcuino lib. de diuinis officijs, cap. de cæna Domini, & alijs.

2. Dicendum cum communi sententia, quam pluribus auctoribus relatis, sequuntur Suarius disp. 80. sect. 2. Vasquez disput. 23. 2. cap. 2. num. 14. Cardinalis de Lugo disput. 20. num. 14. neque iure scripto, neque ex consuetudine vetitum est feria quinta maioris Hebdomadæ sacerdotibus priuatas missas celebrare. Quod non sit vetitum iure scripto, probatur, quia nullum inuenitur tale ius, ut Francolinus etiam fateretur. Quod non sit vetitum consuetudine, probatur; nam licet sit consuetudo satis frequens, & antiqua, ut in cæna Domini omnes præbyteri de manu Præpositi communicent in quavis ecclesia, ad representandos Apostolos, qui eucharistiam receperunt à Christo, tamen hæc consuetudo non potuit vnquam obtrine vim legis, cum sit etiam consuetudo satis frequens, ut & Romæ, & in alijs locis sacerdotes celebrent missas priuatas. Missæ tamen priuatae non debent celebrari, postquam corpus Christi repositum est in reconditorio, quod vocatur *sepulchrum*, quia ab illa hora incipit officium Parasceues, in quo missæ celebrari nequeunt, ut notat Vasquez loco citato num. 16.

3. Quæritur secundo, vtrum requiratur licentia Præpositi Ecclesiæ ad hoc, ut alij sacerdotes celebrent in cæna Domini missas priuatas.

Respondeo negatiuè, ut contra Sotum in 4. distinct. 3. quæst. 2. art. 2. docet Vasquez disp. 23. 2. cap. 2. num. 14. Cum enim talis celebratio, neque iure scripto, neque consuetudine sit vetita, non est, cur requiratur talis licentia.

4. Quæritur tertio, vtrum in Parasceue, seu feria sexta maioris Hebdomadæ possit celebrari missa?

Respondeo certum esse apud omnes in Parasceue non posse vllam missam celebrari, eucharistiam consecrando, prout ad missæ essentiam requiritur, sed in qualibet ecclesia vnum tantum sacerdotem debere sub sola specie panis communicare ex præsanctificatione, hoc est die antecedenti consecratis, & ad hunc finem in reconditorio conseruatis. Ita statuitur canone *Sabbato 13. de consecrat. ex Innocentio Primo in epistola ad Decentium*, in qua dicitur: *Iam vtiq; constat Apostolos biduo in merore fuisse, & propter metum Iudæorum occultasse. Quo vtiq; non est dubium in tantum eos ieiunasse biduo memorato, ut traditio ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta non penitus celebrari; sed sacramenta celebrari idem est, ac sacrificium offerri; ergo Innocentius statuit*

ex antiqua consuetudine biduo illo, in quo includitur feria sexta, sacrificium missæ non debere offerri.

5. Quæritur quarto, vtrum si in feriam sextam maioris hebdomadæ incidat dies festus, puta Annunciationis, obligentur fideles ad audiendam missam illam, quæ celebratur sine consecratione.

Respondeo Vasquez affirmare. Sed negandum est cum Cardinali de Lugo disp. 30. sect. 1. num. 5. qui pro se offert declarationem Congregationis Rituum 19. Februarij 1622. ex Gauanto in rubricis missalis, parte 4. tit. 9. num. 14. Ratio est, quia præceptum est audiendi missam; sed illa, quæ celebratur in Parasceue, non est missa, quia in ea non consecratur, cum consecratio sit de essentia sacrificij; ergo &c.

6. Quæritur quinto, vtrum in die Parasceues liceat populo eucharistiam sumere.

Respondeo certum est, quod potest, & debet dari infirmis per modum viatici, cum ad hunc finem conseruetur. Francolinus loco supra citato negat. Vasquez disput. 23. 2. cap. 2. num. 21. docet neque iure scripto, neque consuetudine introductum esse vllum præceptum obligans fideles ad non communicandum in die Parasceues. Innocentius enim, dum prohibet celebrationem sacramentorum, prohibet solum sacrificium, quod ea die celebrari non potest. Docet igitur, quod cessante scandalo, & sinistra aliqua suspitione, posset aliquis ex causa, vel ex deuotione præsertim priuatim eucharistiam sumere.

7. Quæritur sexto, vtrum in Sabbato Sancto, præter missam solemnem, quæ canitur in qualibet ecclesia, possint etiam alij sacerdotes missas priuatas celebrare.

Respondeo duas esse sententias. Prima Marcelli Francolini loco citato, quam sequitur Vasquez disp. 33. 2. cap. 2. nu. 23. est negatiua. Secunda Suarij disp. 80. sect. 2. & Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 1. est affirmatiua.

8. Dicendum cum secunda sententia, Possunt in die Sabbati Sancti sacerdotes suas priuatas missas celebrare. Probatur: nam, eatenus non possent, quatenus obstatet præceptum scriptum, vel consuetudo, quæ vim habeat præcepti; sed neutrum obstat; ergo &c. Probatur prima pars minoris. Nam si obstarat præceptum scriptum, maxime quia ut statuitur Can. *Sabbato*, citato num. 4: biduo vltimo maioris hebdomadæ non deberent missæ celebrari; sed hoc non obstat; ergo &c. Probatur minor: nam huic decreto quoad Sabbatum Sanctum derogatum est consuetudine, & introductum, ut Sabbato Sancto celebretur missa, ut de facto fit; ergo &c.

9. Respondet Vasquez, antiquitus celebratam fuisse missam illam post mediam noctem sequentem, ac deinde introductam, ut celebretur mane Sabbati Sancti; sed ea nocte celebrabatur vnica missa; alioquin die domi-

nico non potuissent sacerdotes celebrare missam dominicam; cum iam celebrassent aliam missam post mediam noctem, & non possent celebrari duae missae; ergo &c.

10. Sed contra; nam falsum est, quod illa missa celebraretur post mediam noctem; Sabbati Sancti, adeoque initio diei dominicae. Ut enim docet S. Thomas quaest. 83, art. 2, ad 4. missa illa celebrabatur, non post mediam noctem, sed initio noctis spectante ad diem Sabbati; idemque confirmat Cardinalis de Lugo disp. 20, sect. 1, num. 16, ex ordine Romano, ex Rabano Mauro, Hugone de S. Victore, & aliis, quos sequitur Gauntius parte 4, in rubricis missalis, tit. 10, num. 45. Confirmatur; nam sequeretur, quod in oppidis parvis, ubi saepe est vnicus sacerdos, non potuisset illa die Paschae celebrare missam; siquidem iam celebrasset post mediam noctem; vel debuisset eodem die celebrare duas missas.

11. Hinc retorquetur argumentum. Missa enim in Sabbato Sancto celebrabatur initio noctis, post solis occasum, apparente prima stella; sed ea hora praeter missam solemnem celebrabantur etiam missae priuatae, ut constat ex Micrologio cap. 53, de Sabbato Sancto, ubi dicitur: *Post baptismum presbyteri possunt missam, si necesse fuerit, celebrare; ergo sicut consuetudine introductum est, ut missa solemnis anticipetur, & celebretur mane, sic missae priuatae possunt mane celebrari.* Sentus igitur praeccepti Innocentij Primi non celebrandi missam biduo ultimo maioris hebdomadae erat, ut non celebraretur feria sexta, & die Sabbati usque ad noctem; initio enim noctis celebrabatur missa solemnis, & etiam priuatae; sed hoc praecceptum abrogatum est consuetudine contraria, & contrario praeccepto, quod habetur in missali, missam illam celebrandi, non vespere, sed mane; ergo etiam priuatae missae possunt celebrari mane.

12. Probatur iam secunda pars minoris, quod neque detur consuetudo habens vim legis non celebrandi missas priuatas in Sabbato Sancto. Nam multi sacerdotes etiam pij celebrant missas priuatas die Sabbati Sancti, adeoque impediunt, & semper impedierunt, ne consuetudo illa satis communis obtinere possit vim legis, praesertim cum celebrentur Episcopis scientibus, & non contradicentibus. Confirmatur namque occurrente in Sabbato Sancto die festo, solent Episcopi iniungere, ut celebrentur missae priuatae; non possent autem id iniungere contra praecceptum ecclesiae vniuersalis; siquidem inferior non potest dispensare in lege maioris, immo superioris, nec praecipere aliquid contrarium legi superioris.

13. Queritur septimo, qua hora possint celebrari missae priuatae die Sabbati Sancti.

Respondeo, quod aliqui docent non posse celebrari ante diem. Cardinalis tamen

de Lugo censet oppositum disput. 20, sect. 1, num. 22, siquidem vni etiam pij celebrant etiam primo mane.

## QVAESTIO CCXII.

### Qua hora possint celebrari missae.

1. Queritur primo, qua hora dici missae possint incipere.

Respondeo, quod secluso privilegio, vel casu necessitatis, non possunt celebrari ante auroram, sed postunt incipiente aurora, ut docet S. Thomas 3. parte quaest. 83, articulo ad 4. aliique auctores, quos referunt, & sequuntur Suarius disput. 80, sect. 4, Valquez disp. 232, cap. 3, num. 26 Cardinalis de Lugo disp. 20, sect. 1, num. 31, & alij. Probatur nam quamuis nulla extet lex scripta, tamen longissimi temporis vsu consuetudo habens vim legis introducta est, & in rubricis missalis Romani expressa, titulo de hora celebrandi missam, in quo dicitur horam celebrandi missas priuatas (nam de solemnitatibus alia est ratio) esse ab aurora vsque ad medietatem diem. Docet tamen Gabriel lect. 14, in canonem missae, in Germania hieme hora sexta post mediam noctem, quando tenebrae adhuc sunt, missas celebrari, adeoque hanc consuetudinem non celebrandi ante auroram non esse vniuersalem. Immo etiam in Belgio, & Gallia aquitanica, testatur Nenarrus dari consuetudinem dicendi missas ante auroram pro operarijs. Licet ergo Thelephorus, ut refertur can. nocte sancta, de consecr. dist. 1, dicat: *Reliquis temporibus missam celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebranda; quia eadem hora dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus Sanctus descendisse legitur;* tamen hoc decretum quoad hanc partem contraria consuetudine est abrogatum, ut docet Valquez loco citato.

2. Queritur secundo, quid intelligatur nomine aurorae, ante quam non licet celebrare missas.

Respondeo cum communi, & vera sententia, quam sequitur Cardinalis de Lugo disp. 20, sect. 1, num. 31, non intelligi ortum Solis, sed primam eius irradiationem in nostro Hemisphario, quae diuersis temporibus magis, aut minus praecedat ortum Solis. Mensis enim Martij praecedat Solem per horam, & quadrantem; mense Iunio per duas horas, & quadrantem; mense Februario, & Septembri per horam, & dimidiam; aliquando per horam, & tres quadrantes, aliquando per duas horas.

3. Queritur tertio, vtrum sufficiat, ut quam missa partem durare vsque ad auroram, an requiratur, ut non inchoetur ante auroram.

Respondeo Suarium disp. 80, sect. 4, docere posse missam, secluso privilegio, non

choari ante auroram, ita vt finiatur in auro-  
 ra. Probari potest hæc sententia. Nam ter-  
 minus celebrandi missam in rubricis missalis  
 assignatus est ab aurora vsque ad meridiem;  
 sed sufficit, vt missa inchoetur ante meri-  
 diem, licet penè tota duret post meridiem,  
 & finiatur penè semihora post meridiem; er-  
 go à pari. Vasquez è conuerso existimat  
 non posse missam inchoari ante auroram, &  
 hanc opinionem existimat veram. Ratio  
 est, quia assignantur duo termini inchoandi  
 missam; ergo sicut missa non potest inchoari  
 post meridiem, sic neque ante auroram; vt  
 etiam suadet consuetudo, in qua fundatur  
 hæc lex.

4. Quæritur quartò, an ex iure communi  
 aliquibus diebus licitum sit missam celebrare  
 ante auroram, vel post meridiem.

Respondeo, quod in nocte natiuitatis  
 Dominicæ licet omnibus celebrare missam  
 immediatè post mediam noctem, vt statuit  
 Telephorus Papa, & refertur Canone *Noctæ  
 sanctæ* de consecrat. dist. 1. Antiquitas etiam  
 missa Sabbati sancti debebat celebrari post  
 meridiem, immò post occasum Solis, vt do-  
 cet Leo in epist. 79. quæ est ad Dioscorum, &  
 refertur Canone *Cum à Patribus*, dist. 75. Sed  
 hæc consuetudo contraria consuetudine  
 est abrogata, iuxta dicta qu. 21. num. 11. & se-  
 quentibus.

5. Quæritur quintò, an in nocte natiuitatis  
 Dominicæ omnes tres missæ possint celebrari  
 ante auroram, an solum prima?

Respondeo cum Suario disp. 80. sect. 4.  
 Vasquez disp. 232. cap. 3. Cardinali de Lugo  
 disp. 20. sect. 1. num. 26. omnes tres posse dici  
 ante auroram. Probat; nam Telephorus  
 Canone citato absolute concedit, vt in nocte  
 natiuitatis Dominicæ ante auroram missæ ce-  
 lebrentur. Confirmatur consuetudine, quæ  
 iam est recepta, præsertim quia alioquin in  
 tanta sacerdotum multitudine, vix sufficeret  
 tempus, vt omnes tres missas celebrarent, si  
 secundam, & tertiam deberent inchoare ab  
 aurora. Quod dicitur in Missali *secunda, & ter-  
 tia dicantur post auroram*, intelligi debet de so-  
 lemnibus, propter mysteria specialia explicata  
 à S. Thom. qu. 83. art. 2. ad 2.

6. Quæritur quintò, vtrum in casu neces-  
 sitatis, puta cum dandum esset viaticum ægro-  
 to, alioquin morituro sine viatico, possit mis-  
 sa celebrari ante auroram.

Respondeo affirmatiuè, vt docent Do-  
 ctiores communiter. Ratio est, quia hæc lex,  
 præsertim cum sit sola consuetudine introdu-  
 ctæ, non videtur cum tanto rigore intelligen-  
 da, vt comprehendat illum casum. Facundez in  
 Primum præceptum Ecclesiæ, lib. 3. cap. 18.  
 num. 15. limitat id, vt non celebretur statim  
 post mediam noctem, sed summo mane ante  
 incem. Sed Vasquez disp. 232. cap. 3. num. 30.  
 quem sequitur Cardinalis de Lugo disput. 20.  
 sect. 1. num. 26. reiecit illam limitationem, ac  
 docet statim post mediam noctem in eo ca-  
 su necessitatis posse missam celebrari.

Tom. III.

7. Quæritur sexto, quinam habeant priui-  
 legium celebrandi missam ante auroram?

Respondeo Religiosos societatis à Gre-  
 gorio XIII. habere priuilegium, vt ex superio-  
 ris licentia, itineris, vel legitimi impeditenti  
 causa, possint vna hora ante auroram cele-  
 brare. Communiter etiam admittitur, quod  
 Episcopus itineris causa, vel ipse, vel alius co-  
 ram ipso, vna hora ante auroram missam cele-  
 bret, licet hoc priuilegium non inueniatur  
 expressum in iure. Conceditur idem priuile-  
 gium aliquando etiam Cardinalibus. Videri  
 potest Vasquez disp. 232. cap. 3. num. 28. &  
 Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 2. num. 27.

8. Quæritur septimò, vsque ad quam ho-  
 ram diei possint missæ celebrari.

Respondeo Nauarum in summa, cap. 25.  
 num. 85. docere, quod etiam nostris tempo-  
 ribus licet sacerdoti missam celebrare vsque  
 ad horam nonam, quæ est tertia post meri-  
 diem, dummodo ante illam incipiat. Probat  
 primo: nam ea hora Christus in cruce mor-  
 tuus est; ergo congruè vsque ad illam horam  
 missæ celebrantur in memoriam ipsius mortis.  
 Secundo probat, quia nullum ius, & nulla  
 ratio obstat, quo minus, cessante scandalo, &  
 sinistra opinione, possit illa hora celebrari. Ter-  
 tiò probari potest ex Concilio Cabillonensi, &  
 refertur Canone *solent* de consecrat. dist. 1.  
 Quartò probari potest auctoritate plurimo-  
 rum scholasticorum, & etiam S. Thomæ, qui  
 citatur à Vasquez, disp. 232. cap. 4. n. 34.

9. Dicendum cum opinione communi,  
 quam sequitur Vasquez disp. 232. cap. 4. licet  
 temporibus antiquis, præsertim in diebus iei-  
 unij, missæ possent celebrari vsque ad horam  
 nonam, tamen ex consuetudine iamdiù intro-  
 ducta, & ex rubricis missalis, missæ non pos-  
 sunt inchoari post meridiem, & ad summum,  
 secluso priuilegio, possunt inchoari paulo post  
 meridiem. Patet ex consuetudine, & ex ru-  
 bricis missalis. Quando tamen in quibusdam  
 solemnitatibus missa solemniter protrahitur post  
 meridiem, durante missa solemniter, possunt in-  
 choari missæ priuatae, vt patet etiam ex con-  
 suetudine. Ad decretum Concilij Cabillon-  
 ensis dicendum, illud contraria consuetudine  
 iam fuisse abrogatum. Ad auctoritatem S.  
 Thomæ, & scholasticorum, respondet Vasq.  
 eos loqui de hora, qua in diebus ieiunij reci-  
 tatur nona, quæ hora non est tertia post me-  
 ridiem, sed circa ipsum meridiem.

10. Quæritur octauò, vtrum in casu neces-  
 sitatis, puta ad dandum viaticum ægroto alio-  
 quin sine viatico morituro, possit missa in-  
 choari post meridiem?

Respondeo, quod potest à sacerdote iei-  
 iuno celebrari vsque ad horam nonam, hoc  
 est tertiam post meridiem, non autem post, vt  
 docet Vasquez disp. 232. cap. 4. num. 4. qui pro  
 hoc casu veram existimat opinionem Nau-  
 arri.

11. Quæritur nono, quinam habeant pri-  
 uilegium celebrandi missam ante auroram?

uilegium celebrandi missam post meridiem?

Respondeo eos, qui habent priuilegium celebrandi vna hora ante auroram, habere etiam priuilegium celebrandi vna hora post meridiem, quales sunt Religiosi penè omnes, saltem ex participatione priuilegiorum concessorum alijs religiosis, vt docet Vasquez disp. 232. cap. 4. num. 37.

### QVÆSTIO CCXIII.

*Quandonam liceat celebrare plures missas eadem die?*

1. **Q**uæritur primo, vtum iure naturali, vel diuino prohibita sit celebratio plurium missarum eadem die?

Respondeo negatiuè, cum celebratio plurium missarum eadem die ex natura rei nō sit illicita, & nullum detur ius diuinum id prohibens. Confirmatur: nam tempore Vualfridi Strabonis licitum erat eadem die plures missas celebrare, vt ipse latè offendit libro de rebus Ecclesiasticis, cap. 21. vbi adducit exemplum Leonis Papæ, de quo refertur septem, vel nouem missas vna die celebrasse, & exemplum S. Bonifacij Archiepiscopi, & martyris, de quo idem refertur. Videri potest Vasquez disp. 132. cap. 4. num. 42.

2. Quæritur secundo, quo iure prohibita fuerit celebratio plurium missarum eadem die?

Respondeo aliquos existimasse id prohibitum fuisse ab Alexandro secundo, vt refertur de consecrat. dist. 1. Canone *sufficit*. Sed vt putat Vasquez ex eo Canone non colligitur hæc prohibitio. Videntur igitur id apertè prohibuisse Innocentius Tertius, capite *consulti*, & Honorius Tertius cap. *Referente*, de *celebratione missarum*, in quibus statuitur, ne eodem die, excepto die natiuitatis, plures missæ ab eodem sacerdote cuiuscumque status, & dignitatis celebrentur. S. igitur Thomas, qui vixit post illos duos Pontifices, dum 3. p. qu. 83. art. 2. ad 2. dicit, eodem die aliquando celebrari duas missas, alteram de die, alteram pro ieiunio, vel pro mortuis, intelligendus est, vt celebrentur à duobus sacerdotibus, vt ex Soto explicat Vasquez disp. 232. n. 44.

3. Quæritur tertio, an, & in quibus casibus necessitatis possit idem sacerdos plures missas eadem die celebrare?

Respondeo, quod ipse Innocentius loco citato excipit casum necessitatis. Plures casus necessitatis affert Cardinalis de Lugo, disp. 20. sect. 1. num. 44. Primus est, cum necesse esset celebrare ad dandum viaticum ægroto. Quæ enim possit esse vrgentior necessitas? Aduertit autem Cardinalis de Lugo hunc casum rarissimè, & vix vnquam posse contingere. Vel enim sacerdos, qui semel celebrauit, iam accepit ablutionem, & tunc non potest iterum celebrare, cum non sit ieiunus; vel non acce-

pit, & potest, ac debet partem hostiæ conseruare ad communicandum ægroto; ergo solum potest casus euenire medio tempore, postquam sumpsit hostiam, sed adhuc non accepit ablutionem.

4. Secundus casus est, cum finita missa superuenit Episcopus, vel Princeps. Tertius similis, si superuenit funus defuncti, quem non decet absque missa sepeliri. Quartus, si eadem die occurrat duplex officium, alterum de festo, alterum de vigilia. Sed Cardinalis de Lugo rejicit tres istos casus. Nam non est sufficiens necessitas, vt Episcopus, aut Princeps audiat sacrum, quia si non potest audire missam, excusatur à peccato. Similiter non est necessarium, vt mortuus sepeliatur cum missa, ac multo minus, vt dicatur duplex missa de duplici officio.

5. Quintus casus est, quando sacerdos habet duas ecclesias parochiales, quibus solus absque coadiutore ministrat, & in vtraque est populus auditurus missam. Tunc enim vt omnes concedunt, & seruatur in praxi, potest, ac debet celebrare duas missas. Sextus casus est, quando ob solemnitatem non potest vnica missa satisfieri conuentui populi concurrentis; aut quando multi peregrini adueniunt, missa finita. Vasquez tamen, & Snauius negant in hoc casu posse celebrari plures missas; quia licet necesse sit prouideri necessitati permanenti, & habituali communitatis, tamen non est necesse prouideri ijs, qui in aliquo casu per accidens missam non audiunt, & propter eos mutare ritum sacrificandi: & hanc sententiam sequitur Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 1. num. 46. Facilius hoc admittitur cum Layman, & alijs, pro Anglia, Hibernia, & alijs Prouincijs, in quibus non potest vnus sacerdos vnica missa satisfacere catholicis. Illa enim est necessitas permanentis, & habitualis. Septimus casus est, quando mptiæ sunt benedicendæ. Sed casus videtur metaphysicus. Vt autem notat Suarius contra aliquos, in casu necessitatis possunt celebrari non solum duæ, sed etiam tres, aut plures missæ. Videri etiam potest Vasquez disp. 232. cap. 4.

6. Quæritur quarto, quibus diebus iure communi concedatur celebrare plures missas?

Respondeo, quod nocte natalis Domini. Addit Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 1. n. 47. sacerdotes in Regno Valentia habere priuilegium celebrandi duas missas in die commemorationis omnium defunctorum.

7. Dubitatum fuit Romæ, vtum Cardinalis, qui vt Diaconus ministrat Summo Pontifici in die natalis Domini, & sumit eucharistiam sub vtraque specie, si sit sacerdos, possit deinde duas saltem missas celebrare. Cardinalis de hoc consultus respondit, quod nisi Pontifex peculiariter pro eo dispenseret, non potest ea die celebrare vllam missam. Ratio est, quia licet in iure permittatur, vt sacer-

dots ea die celebrent tres missas, & ter se communicent in missa, non permittitur, vt si celebrauerint, iterum sumant eucharistiam, deinde celebrent missam. Ita docet dispur. 20. sect. 1. num. 43.

### QVÆSTIO CCXIV.

*De loco sacro, & idoneo ad celebrandum necessario?*

1. Sanctus Thomas postquam art. 2. qu. 83. Segit de tempore idoneo ad sacrificium eucharistia, art. 3. agit de loco sacro idoneo ad idem sacrificium, & de vasis, & vestibus sacris ad idem requisitis. Vt explicetur doctrina articuli, agendum est primo de loco sacro: secundo de altari: tertio de ornatu altaris: quarto de vasis, & vestibus sacris ad celebrandum necessarijs: & primo de loco.

Quæritur igitur primo, vtrum detur præceptum non celebrandi, nisi in ecclesia consecrata?

Repondeo, quod antiquitus dabatur hoc præceptum, vt probat S. Thomas relatus art. 3. ex capite *Nullus Presbyter* de consecr. dist. 1. & probatur etiam ex cap. *missarum* de consecr. tit. 2. Verum, vt ex Soto in 4. dist. 13. qu. 2. art. 3. aduertit Vasquez disp. 232. cap. 1. consuetudine iam obtentum est, vt ad celebrandum sufficiat ecclesia benedicta, immo & erecta auctoritate Pontificis, vel Episcopi: immo sufficiat vt Episcopus in propria diocesi deputer ad hunc finem Oratorium, vt constat ex cap. *missarum* de consecr. dist. 1. Immo hæc facultas deputandi oratoria ad diuinum tantum cultum, in eis que missas celebrandi, communicata est etiam religiosis, eamque Gregorius XIII. concessit societati nostræ, vt habetur in compendio nostrorum priuilegiorum, verbo *Oratoria*.

2. Aduertit tamen Nauarrus, ex coque Vasquez loco citato, hanc facultatem episcoporum deputandi ad celebrandas missas loca non consecrata, neque benedicta, restrictam fuisse à Tridentino sess. 22. in decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione missæ, per hæc verba. *Neque patiantur priuatis in domibus, aut omnino extra ecclesiarum, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria ab isdem Ordinarijs designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium à secularibus, & regularibus quibuscumque peragi.*

3. Quæritur secundo, vtrum occurrente aliqua necessitate, etiam sine licentia episcopi, possit celebrari missa in loco honesto, ac non consecrato, nec diuino cultui tantum dedicato.

Respondeo affirmatiuè, vt patet ex consuetudine. Nam cum magna multitudo hominum ex occasione festi ad aliquam ecclesiam paruum conuenerit, vt omnes audiant missam, potest celebrari extra ecclesiam. Si-

militer potest celebrari in castris, & pro nauigantibus potest celebrari in littore. Hinc patet consuetudine derogatum fuisse canonibus antiquis, in quibus dicitur, sine summa, vel magna necessitate celebrare extra ecclesiam consecratam, vel benedictam, non licere.

4. Quæritur tertio, vtrum sit peccatum, mortale extra casus iure permisos celebrare in loco alioquin honesto, sed ad diuinum cultum non deputato.

Respondeo affirmatiuè, vt contra Sotum docet Vasquez disp. 233. cap. 1. num. 8. Ratio est, quia cum materia sit grauis, præceptum hoc obligat grauitè.

5. Quæritur quarto, vtrum possit celebrari in ecclesia violata, & polluta.

Respondeo, quod non potest, & grauitè peccat, qui celebrat in ecclesia polluta, vel violata. Polluitur autem ecclesia quinque modis: primo per effusionem iniuriosam sanguinis humani: secundo per homicidium, iniuriosum, siue fiat cum effusione, seu absque effusione sanguinis: tertio per voluntariam seminis humani effusionem extra actum conjugalem: quarto per sepulturam hominis excommunicati: quinto per sepulturam hominis infidelis. His polluitur ecclesia, non autem oratoria in domibus priuatis. Videri potest Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 2. num. 52. & sequentibus.

6. Quæritur quinto, vtrum possit celebrari in mari?

Respondeo, quod re diligenter examinata, ex licentia tacita, vel expressa summi Pontificis, auctoritate episcoporum, fuit introducta consuetudo, vt in nauibus Indicis orientalibus, & occidentalibus celebretur in mari, cum possit vitari periculum effusionis sanguinis Christi, & aliorum incommodorum. Cum autem petita fuisset à summo Pontifice facultas pro triremibus in mari mediterraneo celebrandi, saltem in triremi regia, fuit negata, quia nec est eadem necessitas pro triremibus, quæ frequenter ad terram appellant, sicut de nauibus Indicis, nec triremes sunt ita aptæ ad missas celebrandas sine periculo effusionis sanguinis Christi, sicut grandiores illæ naues.

### QVÆSTIO CCXV.

*De altari ad celebrandum necessario?*

1. Petrus Martyr libro contra Gardinorum, parte 3. in responsione ad obiectum 16. docuit nullum debere esse altare in ecclesia: & hæretici nostri temporis altaria demoliantur, ac pro illis mentas coniuales substituunt. Fundamentum est, quia existimant in missa non offerri vllum sacrificium; sed altare requiritur solum ad sacrificium; ergo &c. Contra illos Bellarminus tom. 2. lib. 1.

lib. 1. de missa, cap. 16. probat semper in ecclesia Dei pro missa celebranda fuisse altaria, ex quo infert in missa offerri verum sacrificium, cum altare apud omnes nationes fiat in ordine ad sacrificium. Quia verò eucharistia habet rationem tum sacrificij, tum spiritalis conuiuij, ideo altare vocatur etiam mensa ab Apostolo 1. ad Cor. 11.

2. Posito, quod ad missam celebrandam requiratur altare, quæritur primo, quale debeat esse altare?

Respondeo, quod ad missam requiritur altare consecratum lapideum, siue fixum sit in aliquo loco, seu deferri possit in quemlibet locum, qualis est lapis, qui vulgo dicitur ara tantæ magnitudinis, vt calicem, & hostiam capere possit. Quamuis enim in iure statutum sit, vt altare non sit ligneum, sed lapideum, nullibi præceptum est, vt sit fixum. Dum igitur capite vltimo de priuilegijs in 6. conceditur episcopis, vt vtantur altari viatico, quod in diuersa loca deferri possit, priuilegium non consistit in hoc, vt eo genere altaris vtantur, cum id iure communi non sit veritum, sed consistit in hoc, vt in quouis loco honesto possint eo vti ad missam celebrandam; quod priuilegium concessum fuit etiam Patribus Societatis, dum in missionibus sunt.

3. Quæritur secundo, à quo tempore præceptum fuerit, vt altare non sit ligneum, sed lapideum?

Respondeo, quod vt legitur in festo dedicationis Basilicæ Lateranensis 9. Nouembris, Syluester cum altare ligneum, quo vsi fuerant Apostoli, & Romani Pontifices, in Basilica Lateranensi collocasset, & decreuisset, vt in eo nullus, nisi Pontifex Romanus celebraret, statuit, vt deinceps altaria non essent lignea, sed lapidea. Idem post Syluestrum statutum est decretis quibuidam Conciliorum prouincialium, quæ habentur apud Gratianum de consecr. dist. 1. & apud alios. Altaris lapidei mentionem faciunt Chrysostomus hom. 20. in posteriorem epistolam ad Corinthios, Gregorius Nyssenus orat. de baptismo, Augustinus sermone 255. de tempore, quos refert Vasquez disput. 233. cap. 1. num. 11.

4. Quæritur tertio, vtrum, & à quo altare debeat esse consecratum?

Respondeo, quod vt statuitur in decretis, quæ referuntur à Gratiano de consecr. dist. 1. debet esse consecratum ab episcopo, vel ab alio sacerdote habente hanc facultatem à summo Pontifice, qui rarissimè illam concedit; licet Paulus tertius anno 1545. concesserit Presbyteris societatis in remotissimis partibus degentibus, vt altaria possint consecrare, si ibi non fuerit episcopus catholicus. Est peccatum graue celebrare in altari non consecrato; & licet summus Pontifex possit in hoc præcepto dispensare, non legitur vnquam dispensasse.

5. Quæritur quarto, quo pacto altaris consecrationem amittat?

Respondeo, quod altare viaticum, immo etiam fixum, si frangatur, ita vt nulla pars eius capiat calicem, & hostiam, amittit consecrationem, & euadit ineptum ad hoc, vt iterum consecratur, vt statuitur cap. Quoniam dubijs, de consecratione ecclesie, vel altaris. Secundo eodem capite, & capite lignis, de consecratione ecclesie, vel altaris, & cap. Si motum, de consecratione, statuitur, vt si altare fixum motum fuerit, iterum consecratur. Id tamen Vasquez disputat. 233. capit. 2. Syluester, & alij, ita intelligunt, vt tunc altare amittat consecrationem, quando mutata fuerit eius forma; cum autem forma non mutata, translatum fuerit in alium locum, non amittat consecrationem. Dicunt autem tunc mutari formam altaris, cum mensa superposita ab inferioribus lapidibus separatur. Addit Vasquez can. si motum de consecr. dist. 1. statuit, vt si altare fuerit motum, non solum altare, sed etiam ecclesia iterum consecratur, sed huic iuri derogatum deinde esse consuetudine contraria, vt definit Alexander III. cap. 1. de consecr. ecclesie, vel altaris. Tertio altare mobile amittit consecrationem per hoc, quod frangatur ita, vt nulla eius pars sufficiat ad capiendum calicem simul, & hostiam; eo enim ipso remanet ineptum ad munus altaris. Si autem separatur à ligno, cui inclisum est, non amittit consecrationem, vt contra Paludanum docet Vasquez loco citato, & Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 2. n. 70.

6. Quæritur quinto, vtrum altare possit fieri ex duobus, vel pluribus lapidibus?

Respondeo negatiuè, vt cum Syluestro docet Vasquez disp. 233. cap. 2. num. 16. vt patet ex consuetudine introducta ad denotandam vnam in Christo Personam, quæ consuetudo habet vim præcepti.

7. Quæritur sexto, vtrum in altari debeant poni reliquiæ?

Respondeo non solum Concilium Carthaginense 5. cap. 14. Concilium Africanum cap. 50. & referuntur can. Placuit de consecr. dist. 1. sed etiam septimam Synodum, can. 7. statuisse, ne templa, & altaria sine reliquijs consecrarentur. Verum vt docet Vasquez disp. 233. cap. 2. num. 15. his iuribus consuetudine est derogatum; tum quia videtur impossibile, vt inueniantur reliquiæ pro innumeris altaribus, quæ eriguntur; tum quia altari viatico non possunt commodè reliquiæ includi. Est autem omninò improbabilis opinio Guglielmi Durandi, qui lib. 1. rationalis diuinorum officiorum, cap. 7. num. 21. docuit sub altari fixo loco reliquiarum condi posse aliquam particulam hostiæ consecratæ; idemque docuit Ioannes Andreas in caput Placuit de consecr. dist. 1. Ratio est, quia nullo iure id permittitur, & hostia illa exponeretur periculo corruptionis, ideoque Hostiensis refert se consuluisse Innocentium Pa-

Papam super hac opinione Ioannis Andreæ, ac Pontificem respondisse id non licere.

8. Quæritur septimo, versus quam partem altare debeat constitui.

Respondeo Damascenum lib. 4. de fide, cap. 17. ex Basilio lib. de Spiritu Sancto, cap. 17. recensere inter ecclesiasticas consuetudines illam orandi ad Orientem, cuius consuetudinis mentionem etiam faciunt Athanasius, Clemens Romanus, Tertullianus, Augustinus, & alij, quos refert Vasquez disp. 233. cap. 2. num. 19. & rationem addunt, quia paradisus fuit constitutus ad Orientem, quem omnes orantes recuperare speramus. Dicendum hanc traditionem non obligare sub peccato, adeoque non solum altaria minora, sed etiam maius posse constitui, non versus Orientem, sed versus quamlibet aliam mundi partem, ut patet consuetudine.

## QVAESTIO CCXVI.

*De ornatu altaris necessario ad celebrationem missæ.*

Quæritur primo an, & quot tobalias requirantur in altari?

Respondeo, quod licet Suarius disp. 81. sect. 6. Vasquez disp. 233. cap. 3. & alij communiter, dicant sufficere duas, præter corporalem, vel unam duplicatam, tamen ut docet Cardinalis de Lugo, in missali reformato auctoritate Clementis VIII. expresse requiruntur tres, quarum una longior sit, & ad terram pertingat, duæ aliæ breuiores, vel una duplicata. Supra has ponitur corporale, quod defertur ex sacratio. Additur in missali tobalias has debere esse benedictas, quod a hostia requiritur in corporali, quod licet in extremitatibus possit esse sericum, vel auro elaboratum, in ea parte, qua calicem tangit, debet esse lineum. Eiusdem rationis debet esse altera pars, qua calix operitur. Purificatorium, quo tergitur calix, non requiritur, nisi benedictum, ut docent Suarius disp. 81. sect. 8. Gauantus in rubricis missalis, part. 2. tit. 1. & Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 2. tit. 76.

2. Quæritur secundo, utrum ad celebrandum requiratur lumen?

Respondeo affirmatiue, & est graue peccatum celebrare sine lumine; siquidem capite ultimo de celebratione missarum inter ex celsus cuiusdam sacerdotis refertur hoc, quod celebraret sine igne. Licet in iure non sit expressum lumen debere esse candelam ex cera, tamen consuetudo id obtinuit, ideoque in rubricis missalis requiruntur duæ candelæ cereæ. Plures tamen auctores, quos refert Cardinalis de Lugo, disp. 20. sect. 2. num. 77. docent in casu necessitatis sufficere lumen ex oleo, vel adipe, aut sauo. Cereorum, qui recendi solebant, dum cantatur Euangelium,

mentionem faciunt Hieronym. lib. contra Vigilantium, & epist. 20. ad Marcellum, & Isidorus lib. 7. etymol. cap. 12. In Concilio Tridentino sess. 22. in decreto de obseruandis in celebratione missæ, statuitur, ne certus numerus candelarum ex superstitione in celebratione missæ adhibeatur. Si adhibentur non ex superstitione, sed ex consuetudine, id non est vitium.

3. Quæritur tertio, utrum ad celebrandum requiratur crux?

Respondeo, quod requiritur, ut patet in regulis missalis: nullo tamen iure inuenitur id præceptum. Suarius tamen disp. 81. sect. 8. & Vasquez disp. 233. cap. 3. num. 26. existimant non esse peccatum grate celebrare missam sine cruce. Aliqui dicunt regulam missalis non intelligi de altari, in quo est eucharistia. At Gauantus 1. parte tit. 20. cum alijs docet crucem etiam in eo altari requiri.

4. Quæritur quarto, utrum requiratur liber missalis?

Respondeo affirmatiue. Dicunt tamen Layman. lib. 5. cap. 6. num. 17. & alij, nec non Vasquez disp. 233. cap. 3. num. 26. quod cum sacerdos nullum timet periculum, & memoria tenet totam missam, secluso scandalo, posset celebrare absque missali. Notat autem Vasquez ex hoc capite excusari eos, qui cum legere non possint propter debilitatem visus, tamen celebrant missam memoriter recitantes, & videntes quantum satis est ad reliquas sacrificij actiones ritè peragendas. Illi etiam licet librum coram se habeant propter decentiam, tamen perinde est, ac si non haberent.

## QVAESTIO CCXVII.

*De vasis, & vestibus sacris.*

1. Quæritur primo, utrum ad sacrificium missæ offerendum requirantur calix, & patena?

Respondeo calicem procul dubio esse necessarium, eiusque etiam semper in ecclesia fuisse. Primum enim Christus in calice consecrauit vinum, ut patet Matth. 26. Marci 14. & Lucae 22. immo in ipsa forma fit mentio calicis. Secundo quia vinum debet contineri in aliquo vase. Tertio huius antiquæ traditionis fit mentio canone *Vasa*, de consecr. dist. 1. qui est Concilij Triburienensis, cap. 18. ubi dicitur vasa ad celebrandum esse calices, & pateras, quas patenas vocat Concilium Rhemense can. 6. & refertur de consecr. dist. 1. canone *ut calix*. Patena non est ita necessaria, sed semper ea ecclesia etiam græca est vsa; siquidem Patres faciunt mentionem patenæ, cuius vsus est, ut si aliqua particula panis decidat, in ea recipiatur, & commodius possit consumi.

2. Quæritur secundo, ex qua materia debeant

beant constare calix, & patena?

Respondeo, quod vt ex Concilio Triburienſi, cap. 18. refertur cap. *Vasa* de consecrat. dist. 1. in ecclesia non semper fuit eadem materia calicis, & patenæ. Bonifacius enim martyr interrogatus, vtrum liceret calicibus ligneis sacramenta conficere, respondit: *Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc è contrario lignei sacerdotes aureis calicibus vtuntur.* Deinde refert Zephyrinum, qui à Petro fuit 16. Pontifex, patenis vitreis vsum fuisse, idemque intelligit de calicibus: *Urbanum omnia vasa argentea fecisse, in eo autem canone prohibetur vsus vasorum ligneorum.* Denique Concilium Rhemense sub Eugenio tercio, can. 6. vt refertur can. *Vt calix* de consecrat. dist. 1. statuit, vt calix cum patena, si non ex auro, saltem ex argento fiant, & saltem propter paupertatem ex stanno; ex ære autem, aut auricalcho calix nequaquam fiat, idemque valet de patena. Aduertit tamen Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 4. num. 90. consuetudinem esse omnino contrariam: siquidem in ecclesijs ad communem vsum sacrificij plerique calices sunt ex ære toti, seu cupro inaurato, vulgo *rame*, ex stanno autem nullum reperitur, ideoque mirum est Vasquez, aliosque recentiores hanc consuetudinem non aduertisse.

3. Quæritur tertio, vtrum calix, & patena debeant esse consecrata ab episcopo?

Respondeo affirmatiuè. Fit autem mentio consecrationis calicis capite vnico, par. vlt. de sacra vnctiõne, & alijs canonibus, qui videri possunt apud Vasquez disp. 233. c. 4. n. 32. Sed Paulus Tertius anno 1549. vt habetur in Bulla illius anni, concessit Patribus nostræ Societatis degentibus in partibus remotissimis, vt possint calices, & patenas consecrare.

4. Quæritur quarto, quò pacto amittatur consecratio calicis?

Respondeo, quod amittitur per fractionem, aut diminutionem, per quam non remanet aptus ad vsum sacrificij. Ideo si cupa separetur per fractionem à pede fixo, & iterum coniungatur, calix debet iterum consecrari. Videri potest Vasquez disp. 233. cap. 4. & Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 4. Probabile etiam est, quod cum cupa de nouo inrus inauratur, calix debeat iterum consecrari, vt docet Vasquez loco citato. Ratio est, quia per inaurationem constituitur noua quedam superficies, quam immediatè tangit sanguis Christi. Cardinalis tamen de Lugo disp. 20. sect. 4. num. 95. existimat calicem de nouo inauratum non indigere noua consecratione; tum quia ecclesia, quæ de nouo dealbatur, non indiget noua consecratione; tum quia calix ille remanet moraliter idem.

5. Quæritur quinto, vtrum pyxis, in qua seruatur corpus Christi, debeat consecrari?

Respondeo, quod Suarius, Vasquez, alijque, quos refert Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 4. num. 96. dicunt de rigore iuris non

indigere consecratione, cum non inueniantur ius id præcipiens. Quia tamen in missali prescribitur, vt particula consecrata ponatur, vel in corporali, vel in aliquo vase consecrato, & in pontificali ponitur specialis pro pyxide benedictio, debet benedici. Aduertunt autem authores allati vasa illa non regi chrismate. Ideo qui habent facultatem benedicendi omnia ornamenta, & alia necessaria, exceptis ijs, in quibus debet adhiberi sacra vnctio, possunt etiam benedicere pyxides. Vasquez dicit pyxidem debere consecrari super aliquo lapide consecrato. Sed vt aduertit Cardinalis de Lugo, hoc & nullo iure statuitur, & est contra consuetudinem receptam Romæ, & in alijs Prouincijs.

6. Quæritur sexto, vtrum requirantur sacræ vestes?

Respondeo requiri sacras vestes, quæ sunt amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, planeta, omnes benedictas ab episcopo, vel à sacerdote habente facultatem illas benedicendi à Sede Apostolica.

7. Quæritur septimo, quando perdatur benedictio sacrarum vestium, ita vt debeat iterum benedici?

Respondeo, quod amittunt benedictionem, cum ita dissoluantur, vt non sint amplius ad suum vsum aptæ absque nouo sacrificio, vt cum manicæ assutæ separantur ab alba. Hinc est, vt si cingulum rumpatur ita, vt vtraque, vel altera saltem pars sufficiat ad cingendum, non indigeat noua benedictione: si autem rumpatur ita, vt neutra sufficiat, etiamsi iunctæ simul sufficiant, indiget noua benedictione, vt cum communi sententia docet Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 4. num. 200. Quidam, sed sine sufficienti fundamentamento, dicunt dari præceptum grauius obligans ad non celebrandum sine calceis. Refertur tamen est Summo Pontifici dare facultatem celebrandi, capite cooperto, vt constat ex missali reformato iussu Urbani VIII. Quidam tamen dicunt in casu necessitatis, cum non posset recurri ad Pontificem, posse hanc facultatem concedi ab inferiore prælato, imò fieri sine licentia, scandalo cessante. Videri potest Cardinalis de Lugo num. 102.

8. Quæritur octauo, vtrum ad celebrandum requiratur minister?

Respondeo requiri saltem vnum ministrum, licet hæc obligatio colligatur potius ex consuetudine, quam ex aliquo iure expresso, vt obseruat Suarius disp. 87. sect. 1. circa finem, ex eoque Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 4. num. 103. Capite tamen primo, de constitutione Clericorum prohibetur, ne minister detur ipsi altari, cum moniales de facto respondeant ex choro. Hinc Cardinalis de Lugo num. illo 103. docet, quod si minister nesciret respondere, vel esset mutus, possent supplere moniales respondentes ad omnia, ita vt minister solum faciat, quæ spectant ad ministerium

## QVAESTIO CCXVIII.

De stipendio Missæ.

**P**RO explicatione totius materiæ de sacrificio missæ, ac de eucharistia, agendum est de stipendio missæ, & de obligatione audiendi missam.

Quæritur igitur primo, vtrum sacerdotibus debeat stipendium pro missæ celebratione?

Respondeo de fide esse ministros altaris dignos esse stipendio suo pro vitæ sustentatione, vt docuit S. Thomas 2.2. quæst. 100. art. 3. ad 2. Probatur primo ex verbis Christi Lucæ 10. *In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua.* Confirmatur ex Paulo 2. ad Cor. 9. *Nescitis, quoniam qui in sacrario sunt, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiunt, de altari participant.* Ita Dominus ordinavit ijs, qui euangelium annunciant, de euangelio viuere. Ideo hoc definitum est in Concilio Agathensi, & alibi.

2. Quæritur secundo, vtrum hoc stipendium debeat solum iure positiuo, an iure naturali?

Respondeo, quod debetur iure naturali. Hoc enim indicant verba Christi: *Dignus est enim operarius mercede sua*, & verba Apostoli: *Quis militat suis stipendijs unquam.* Hinc rejicitur opinio quorundam, qui dixerunt, hoc debitum esse solum obedientiæ, quia Christus præcepit, vt ministrantibus spiritualia, darentur necessaria ad vitam.

3. Quæritur tertio, quo titulo debeat stipendium pro missa?

Respondeo plures esse sententias, quas refert Cardinalis de Lugo, disp. 21. sect. 1. Duæ videntur probabiores. Prima est, quod debetur vt pretium corporalis operæ in missa, dicenda. Opus enim, & labor ad eundem ecclesiam, induendi se vestibus sacris, & faciendi actiones corporales, quæ exercentur in missa celebranda, est pretio æstimabile; ergo potest pro eo solum pretium, nec in hoc est vlla simonia; neque enim datur pro re spirituali, sed pro labore purè corporali. Licet autem Suarius tom. 1. de religione, lib. 4. de simonia, cap. 21. & Sanchez tom. 1. consiliorum, lib. 2. cap. 3. dub. 10. & Cardinalis de Lugo disp. 21. sect. 1. rejiciant hunc modum dicendi, tamen mihi videtur satis probabilis. Et confirmatur ex illis verbis Christi: *Dignus est enim operarius mercede sua*, quibus insinuat pretium dari vt mercedem operæ, & laboris.

4. Secunda sententia docet deberi vt stipendium ad vitam sustentandam. Sicut enim, vt arguit Apostolus loco citato, qui militat pro altero, non debet viuere suis stipendijs, sed debet sustentari ab eo, pro quo militat; sic qui seruit altari, debet viuere de altari, & qui pro altero missam celebrat, debet ab ipso accipere stipendium congruum ad se sustentandum. Videri potest Vasquez disp.

ferium altaris. In casu necessitatis, vt docent Suarius, Layman, Facundez, & alij, quos refert Cardinalis de Lugo, num. 103. potest sacerdos celebrare sine ministro. Addit Cardinalis de Lugo ex Suario, quod in eo casu sacerdos deberet potius celebrare sine ministro, quam foeminam admittere ad ministrandum, siquidem ministerium foeminæ expressius prohibetur in iure, quam celebratio sine ministro.

9. Quæritur nono, an sit obligatio sub mortali ad obseruandum ritum præscriptum in missali, eiusque regulas, & rubricas?

Respondeo, quod vt docent omnes, sacerdotes saltem obligantur sub graui ad non ita operandum contra rubricas, vt videatur introduci alius ritus: siquidem Pius V. obligans ad seruandum hunc ritum, saltem obligauit ad hoc. Facilius excusari potest ex leuitate materiæ ommissio alicuius partis exiguæ, quod etiam in Canone admittit Suarius disp. 83. sect. 3. Descendendo ad aliqua particularia.

10. Quæritur decimo, vtrum sit peccatum mortale contra regulam missalis in festo duplici, vel Dominica, dicere missam votiuam, vel pro mortuis.

Respondeo aliquos affirmare, quos refert Diana tract. de celebrat. missarum resol. 30. Suarius disp. 83. sect. 3. negare, eiusque opinionem probabiliorum existimare Cardinalem de Lugo disp. 20. sect. 4. num. 105.

11. Quæritur vndecimo, an sit mortale ommittere orationes, quæ dici solent, dum sacerdos se induit.

Respondeo negatiuè, vt contra Nauarum, Silium, & Azor docent Layman, Facundez, Diana, & alij, quos refert, & sequitur Cardinalis de Lugo loco citato num. 106. quia ecclesia non præcipit, vt recitentur tales orationes, sed solum proponit illas per modum instructionis.

12. Quæritur duodecimo, vtrum sit peccatum mortale ommittere gloria, vel credo, cum debent dici?

Respondeo aliquos dubitare, alios absolute negare, vt Filiucius, & Diana, quos refert Cardinalis de Lugo, num. 107. Suarius tamen disp. 83. sect. 3. non audet excusare a mortali eum, qui ommitteret epistolam, vel euangelium. Facilius potest excusari sacerdos, qui in missa solemnè non recitaret epistolam, vel euangelium; quæ cantantur à subdiacono, vel diacono, quia cum simpliciter non omittantur in missa, videtur ommissio illa sacerdotis non esse peccatum graue ex leuitate materiæ, licet sit contra rubricas.

13. Articulo 4. 5. & 6. S. Thomas agit de his, quæ in missa dicuntur, ac fiunt, & de defectibus, quæ in missa celebratione possunt contingere. Sed quia doctrina horum articulo- rum est clara, nihil est addendum, ac pro complemento tractatus de sacrificio eucharistico, solum agendum est de stipendio missæ, ac de præcepto audiendi missam.

134. cap. 1. & Cardinalis de Lugo disput. 21. sect. 1. num. 6. Seù stipendium debeatur, vt pretium laboris, seù ad sustentationem sacerdotis, debetur ex iustitia, cum vterque sit titulus iustitiæ.

5. Quæritur quarto, vtrum etiam sacerdotes diuites possint accipere stipendium pro celebratione missæ?

Respondeo affirmatiuè, vt cum sententia communi Soti, Nauarri, & aliorum docent Vasquez, & Cardinalis de Lugo locis citatis. Probatur: nam siue stipendium debeatur vt merces laboris, seù quia qui altari seruit, debet ab ipso sustentari, debetur seù sit pauper, seù diues. Operarius enim dignus est mercede sua, seù sit pauper, seù diues; militi debetur stipendium ad se sustentandum, seù sit pauper, seù diues.

6. Quæritur quinto, vtrum Canonici, Beneficij, & alij, quibus ratione beneficii, aut præbendæ non est specialis obligatio applicandi missam pro aliquo, possint accipere stipendium pro missa.

Respondeo affirmatiuè, vt docet Cardinalis de Lugo, disp. 21. sect. 1. num. 19. Ratio est, quia stipendia suorum beneficiorum &c. accipiunt pro alijs oneribus, ergo non est, cur expletis alijs ministerijs, si missam pro alio celebrant, non possint accipere stipendium. Licet autem Congregatio Concilij declaret eos, qui aliunde tenentur ad missam celebrandam, non posse pro ea accipere aliud stipendium, tamen Cardinalis de Lugo existimat id esse intelligendum de ijs, qui tenentur ad missam celebrandam, & applicandam, prout communiter accidit, non autem de ijs, qui tenentur solum ad celebrandum, relinquendo illis expressè, vt possint missam liberè applicare.

7. Quæritur sexto, vtrum in die Natalis Domini sacerdos ter celebrans possit accipere tria stipendia?

Respondeo affirmatiuè, vt docet Cardinalis de Lugo loco citato. Cum enim magis laboret, & seruiat, non est mirum, quod mereatur maiorem mercedem, maiusque stipendium.

8. Quæritur septimo, quo pacto iustum missæ stipendium pro vnius missæ celebratione assignari debeat?

Respondeo, quod iure naturali, ac diuino nihil est determinatum, sed relinquitur arbitrio prudentis. Porro hæc assignatio sicut in alijs etiam rebus potest esse duplex, priuata nimirum, & publica. Priuata est, quæ iudicio communi singulorum, qui in Republica degunt, assignatur. Publica, quæ arbitrio Principis, seu superioris definitur. Quantitas igitur stipendij pro missa, aut communi populi christiani æstimatione, aut Pontificis, & Episcoporum iudicio potest definiri, vt docet Vasquez disp. 134. cap. 1. num. 4. & 5.

9. Quæritur octauo, vtrum Episcopus possit ita taxare stipendium, vt sacerdotes

non solum non possint plus, sed neque minus accipere?

Respondeo, quod regulariter relinquunt sacerdotibus libertatem accipiendi minus. Vasquez cum alijs existimat, quod non possint ita taxare, vt non possint minus accipere, quia hoc esset prohibere actum liberalitatis, quo velint condonare partem stipendij. Probabilius censeo, quod possint, si id exigat bonum commune, ne vilescant sacerdotes, & paulatim iudicetur vsus soluendi pro missis stipendium minus, quam d. beatur.

10. Superfuit plura, quæ circa stipendium missæ dubitabantur, & sublata sunt per quamdam bullam; in qua auctoritate Urbani VIII. prodierunt quædam decreta Sacre Congregationis Concilij anno 1625.

Quærebatur igitur nono, vtrum sacerdos, à quo missa petitur, dato ei stipendio infra quantitatem iustam, vel lege taxatam, posset vna missa satisfacere pluribus stipendijs, donec responderet illi vnum integrum stipendium. Affirmabant communiter Doctores relati à Cardinali de Lugo disp. 21. sect. 1. num. 26. Sed Sacra Congregatio prohibuit id fieri sub graui peccato, & obligauit ad restitutionem.

11. Quærebatur decimo, an sacerdos pauper posset accipere pro vna missa tot stipendia, quot sufficerent ad eius diurnam sustentationem? Multi affirmabant; Suarius, & Vasquez negabant; & hanc partem negatiuam suo præcepto probauit Sacra Congregatio, sub obligatione peccati grauis, & opere restituendi. Et quia rursus quærebatur, vtrum id fieri posset prætextu aliquorum priuilegiorum, aliquibus religionibus concessorum, Sacra Congregatio auctoritate Summi Pontificis, & de eius mandato hæc priuilegia quoad hoc omnino reuocauit.

12. Quærebatur vndecimo, vtrum qui missas dicendas suscepit, posset alijs sacerdotibus dicendas dare, retenta sibi parte stipendij ac dato illis stipendio alioquin iusto. Multi concedebant; alij negabant. Sacra Congregatio, vt omne damnabile lucrum amoueret, prohibuit id fieri, etiam si quis accepisset stipendium maius solito, & iusto, & præcepit cum missa committitur dicenda ab alio, daret illi integrum stipendium. Et quia fuit quæsitum, vtrum beneficiarius, qui potest per alium celebrare, teneatur illi dare stipendium pro ratione beneficii; Sacra Congregatio respondit sufficere, vt det stipendium alioquin iustum, nisi in fundatione beneficii aliter cautum fuerit; idemque proportionaliter valet de Capellano, qui potest celebrare per alium.

13. Quærebatur duodecimo, vtrum administratores Ecclesiarum possint retinere aliquam elemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiæ, altarum, ministerij, paramentorum, luminum, vestimentorum, hostiæ, & similibus. Respondet sacra Congregatio id non posse fieri, nisi cum ecclesiæ, &

loca pia non habent alios redditus, quos in usum earum expensarum licitè possint erogare, & tunc eam portionem, quam retinebunt, non debere excedere valorem expensarum; quæ pro ipsomet tantum sacrificio sunt subeunda, & nihilominus tunc non esse minuendum numerum missarum; quæ ab offerentibus elemosynas exiguntur.

14. Quærebatur decimo tertio, vtrum posset sacerdos, duobus stipendijs acceptis, satisfacere vnica missa, applicando vni partem solitam, alteri partem, quæ correspondet ipsi celebranti. Affirmarunt aliqui. Negavit melius Suarius de eucharistia disp. 79. sect. 9. in fine; tum quia probabilius est, quod sacerdos partem illam suam non possit transferre in alterum, vel saltem res est valde dubia: tum quia nescitur, an sacerdos sit in gratia, adeoque an pars illa habeat suum effectum: tum demum, quia qui dat stipendium, vult illam aliam partem ex opere operato. De hoc iam non est dubium: siquidem Sacra Congregatio prohibuit, ne vnquam vnica missa duobus stipendijs satisfiat, etiam sub onere restituendi.

15. Quærebatur decimo quarto, an sacerdos possit accipere plura stipendia, quibus non nisi post longum tempus possit satisfacere?

Respondeo Sacram Congregationem prohibuisse, ne Sacerdotes accipiant elemosynas pro missis, nisi oneribus ante susceptis satisfecerint, vel vt declarationibus eiusdem decreti explicatum fuit, nisi intra modicum tempus possint satisfacere, vel qui dat elemosynam sciat, & consentiat, vt differatur celebratio toto illo tempore, donec alijs satisfiat. Modicum tempus Ledesma, & quidam alij, quibus videtur consentire Cardinalis de Lugo, censent quo 50. vel 60. missæ dici possint.

16. Quæritur decimo quinto, an sacerdos, accepto stipendio, vt dicat missam de beata Virgine, vel pro defunctis, satisfaciat, dicendo missam, quæ eo die occurrit, eamque applicando.

Dicendum, quod si occurrat dominica, vel festum, melius est obseruare rubricam missalis, quam inuertere ordinem ecclesiæ ex priuata deuotione. Addit Cardinalis de Lugo disp. 20. sect. 2. num. 35. etiam alijs diebus hoc esse magis expediens. Deberet tamen de hoc moneri dans elemosynam; & videtur implenda voluntas dantis, cum potest licitè, alioquin fit contra fidelitatem, & fortasse contra iustitiam.

17. Quæritur decimo sexto, an qui ex fundatione, vel alio titulo debet celebrare in aliqua ecclesia, vel altari determinato, possit saltem ex causa alibi celebrare, & implere obligationem.

Respondeo quosdam negare, Cardinalem de Lugo distinguere. Nam si testator determinauit illum locum, & illud altare ob peculiarem cultum illius loci, vel propter com-

modum populi, vel propter memoriam familiaræ, non potest, nisi auctoritate illius, qui potest mutare vltimas voluntates. Tamen, posset excusari à peccato mortali propter leuitatem materiæ, & ex causa rationabili posset excusari etiam à veniali, cum testator censendus sit noluisse obligare cum tanto rigore. Si verò nihil simile respexit testator, facilius posset excusari à peccato mortali, dummodo dicat missam intra eandem ecclesiam, quæ videtur acquisuisse ius ad hoc. Ego tamen cenfeo dari grauem obligationem implendi voluntatem testatoris, vt iacet, ne alioquin præbeatursansa varijs interpretationibus eorum voluntates eludendi: Videri potest Cardinalis de Lugo disput. 21. sect. 2. num. 37.

18. Quæritur decimo septimo, vtrum quando ecclesia, vel altare designatum à testatore casu aliquo inueniuntur impedita, vel violata, sacerdos ea die debeat alibi celebrare, vel sit liber ab obligatione?

Respondeo cum Cardinali de Lugo disp. 21. sect. 2. num. 41. & 42. quod si testator principaliter intendit solum, vt celebretur in tali loco, sacerdos manet liber ab obligatione: si principaliter intendit applicationem sacrificij, debet alibi celebrare.

19. Quæritur decimo octauo, an sacerdos, qui ex obligatione Capellani debet celebrare ter in hebdomada, puta feria secunda, quarta, & sexta, possit mutare dies?

Respondeo, quod si fundator specialiter intendit illos dies, non potest: si purè determinauit, potest. Existimat tamen Cardinalis de Lugo raro peccari mortaliter propter solam mutationem dierum, ex leuitate materiæ.

20. Quæritur decimo nono, vtrum cum fundator præcepit, vt singulis mensibus dicantur quindecim missæ, possit sacerdos anticipare, & vno mense offerre triginta.

Respondeo cum Cardinali de Lugo num. 44. quod si voluit solum illas missas pro se offerri, potest, quia anticipata solutio non nocet, sed potius prodest: si verò intendit cultum ecclesiæ, vel Capellæ, ad quem spectat, vt singulis mensibus in ea missæ celebrentur, non potest. Et quia regulariter intenditur etiam hoc secundum, regulariter non potest: multo minus posset, si intenderet, vt offerrentur pro mortuis eodem mense: nam anticipatio esset in præiudicium eorum, qui morientur mense sequenti, & pro quibus deberent offerri. Addit Cardinalis de Lugo, quod cum licet anticipatio, potest excusari à mortali, qui postponit, præsertim, si non multum postponat.

21. Quæritur vigesimo, vtrum sacerdos, qui obligatur celebrare singulis ferijs, quinta, sexta, & sabbatis, teneatur celebrare etiam illis ferijs maioris hebdomadæ.

Respondeo, quod feria sexta non teneatur, cum non celebretur missa. Existimat

Cardinalis de Lugo n. 46. quod neque teneatur celebrare feria quinta, & sabbato, quia est consuetudo non celebrandi, illique censetur se voluisse conformare testator. Ideo nec tenetur transferre sacrificium in alium diem. Existimat tamen Cardinalis de Lugo, quod si ijs diebus celebret, tenetur sacrificium offerre, iuxta intentionem fundatoris.

22. Quæritur vigesimo primo, vtrum Capellanus ægrotus debeat interim dare stipendium alteri, ne fundator priuetur illis missis!

Respondet Henriquez, ex eoque Cardinalis de Lugo num. 48. quod si infirmitas sit brevis, non tenetur, nisi testator expresserit quoad hoc mentem suam; si longa, tenetur. Infirmitatem breuem aliqui dicunt quoad hunc effectum esse, quæ durat octo, vel decem diebus, alij, quæ durat quindecim, alij quæ durat per mensem, alij, quæ per duos menses, quam sententiam Cardinalis de Lugo num. 49. probabilem existimat.

## QVAESTIO CCXIX.

### De præcepto audiendi missam.

1. Quæritur primo, vtrum detur præceptum audiendi missam diebus festis?

Respondeo affirmatiuè, vt habetur capite *Omnes fideles* 62. & cap. *Missas* 64. de consecr. dist. 1. Suarius disp. 88. sect. 1. docet de fide esse, quod detur hoc præceptum. Cardinalis de Lugo disp. 22. sect. 1. num. 1. docet id non esse de fide, sed evidens. Hoc præceptum obligat ad missam audiendam non solum diebus dominicis, sed etiam alijs diebus festis; siquidem ecclesia eo ipso, quod præcipit aliquod festum, imponit præceptum eadem die missam audiendi. Obligat omnes etiam sacerdotes, religiosos &c. & obligat sub mortali, cum materia sit grauis. Obligat solum habentes vsum rationis, cum infantes, & amentes non possint moraliter assistere sacrificio; licet sit humanum, & ecclesiasticum, est valdè conforme legi naturali, posita institutione sacrificij eucharistici, ac videtur quædam determinatio præcepti naturalis.

2. Quæritur secundo, quam missam, & vbi debeamus audire.

Respondeo, quod sufficit audire quamlibet, siue hoc, siue illo ritu catholico celebretur, siue hac, siue illa lingua, cum solum obligemur ad audiendam missam: satisficit audiendo sacrum etiam extra parochiam, quia licet olim fortasse daretur obligatio audiendi missam in parochia, tamen illi obligationi, consuetudine, & priuilegijs fuit derogatum; & licet in Tridentino sess. 14. cap. 4. dicatur teneri fideles adire suas parochias, cum commodè possunt, ad audiendum verbum Dei, tamen de audienda missa nihil dicitur, & consuetudo ostendit, nec fuisse receptam obliga-

tionem audiendi, conciones in parochia. & Congregatio Concilij Tridentini declarauit non posse ordinarium mulctis, & poenis cogere populum ad audiendam missam, vel concionem in parochia, etiam in casu negligentia, aut contumaciæ. Videri potest Azor tom. 1. lib. 7. cap. 8. quæst. 6.

3. Quæritur tertio, an debeat audiri tota, & integra missa.

Respondeo affirmatiuè, vt patet ex cap. *omnes fideles*, & ex alijs allatis à Suario disp. 88. sect. 2. initio. Sententia Nauarri, Suarij, Doti, Azor, & aliorum, quos refert Cardinalis de Lugo disp. 22. sect. 1. num. 3. docet non esse peccatum mortale, si omittatur ab initio vsque ad euangelium exclusiuè. Aliqui dicunt posse sine mortali omitti etiam vsque ad euangelium inclusiuè. In eo tamen casu Nauarrus exigit, vt priuatim legatur euangelium. Sed hoc communiter rejicitur, quia illa lectio priuata impertinenter se habet ad præceptum audiendi missam.

4. Quæritur quarto, an qui adfuit toti reliquæ missæ, sed absuit tempore consecrationis, vel communionis, satisfaciat præcepto?

Respondeo negatiuè: siquidem cum essentia missæ consistat in illis duobus, vt dictum est qu. 194. num. 10. eo ipso, quod illis non interfuit, non interfuit missæ, ac proinde non satisfecit præcepto. Si dicatur *communione non esse de essentia missæ*, qui non interfuit communioni, sed interfuit reliquæ missæ, satisfecit præcepto: & similiter in sententia dicente consecrationem non esse de essentia, qui non interfuit consecrationi, si interfuerit reliquæ missæ, satisfecit præcepto.

5. Quæritur quinto, an qui non potest audire totam missam, quia aduenit circa medium vltimæ missæ ex. gr. teneatur audire reliquum missæ.

Respondeo quosdam negare, quosdam affirmare cum Suario. Cardinalis de Lugo disp. 22. sect. 1. n. 6. distinguit, ac dicit, quod si venit ante consecrationem, tenetur audire reliquam, quia in consecratione, & reliquis consistit tota missæ essentia: si venit post consecrationem, non tenetur, quia iam in illis non saluatur essentia missæ.

6. Quæritur sexto, vtrum qui audiret missam vnus à consecratione exclusiuè vsque ad finem, satisfaciat deindè præcepto audiendo aliam vsque ad consecrationem inclusiuè.

Respondeo negatiuè cum Suario disp. 88. sect. 2. Azor. & Toletis, & alijs, quos refert, & sequitur Cardinalis de Lugo disp. 22. sect. 1. num. 7. contra Nauarrum, & plures alios. Ratio est, quia ex illis duobus partibus non fit vna integra missa, cum de eius essentia sit, vt id, quod consecratur, per communionem consumatur. Hinc sequitur à fortiori, quod non satisfacit, qui eodem tempore interest duabus missis, alteri ab initio vsque ad consecrationem, alteri à consecratione vsque ad finem. Licet igitur admittatur, quod is, qui satisfacit

est obligatiōi recitandi officium, recitan- do illud ordine præpostero, puta recitando horas ante matutinum, quia ex tali recitatio- ne constituitur integrum officium, tamen non satisficit obligatiōi audiendi missam, au- diendo vnam medietatem ab vno sacerdote, aliam ab alio, quia non auditur vna missa, & ex duabus non fit missa, sicut ex duabus me- dietatibus duorum hominum non constitui- tur homo.

7. Quæritur septimo, vtrum, qui ex Bul- la Cruciatæ, vel aliunde habet priuilegium, audiendi missam tempore interdicti, oblige- tur ad missam audiendam diebus festis, ac do- minicis?

Respondeo affirmatiue cum Suariz disp. 88. sect. 6. Nauarro, Soto, & alijs, quos con- tra plures alios refert, & sequitur Cardinalis de Lugo disp. 22. sect. 1. num. 13. Ratio est, quia præceptum obligat ad audiendam mis- sam, quoties non adest impedimentum; sed per illud priuilegium aufertur impedimentum; ergo &c. Addit consequenter Cardinalis de Lugo, quod qui habet priuilegium faciendi, vt celebretur missa in priuato oratorio, cum non potest domo egredi, obligatur ad vten- dum priuilegio, vt missam audiat domi die festo.

8. Quæritur octauo, vtrum peregrini dum transeunt per locum, in quo est dies festus, te- neantur audire missam.

Respondeo probabile est, quod non tenentur. Sed hoc pendet à quæstione generali, in qua quæritur, an, & quomodo viatores ob- ligentur legibus loci, per quem transeunt.

QVAESTIO CCXX.

De presentia, intentione, & attentione requi- sita ad audiendam missam.

1. Quæritur primo, vtrum ad satisfaciend- um præcepto requiratur, vt simus præsentem missæ aliqua presentia humana?

Respondeo affirmatiue cum sententia communi, & certa. Hinc sequitur, quod si ali- quis eo tempore etiam inuoluntariè dormiat parte notabili, non satisfacit præcepto, vt docet Cardinalis de Lugo, disp. 22. sect. 2. num. 19. Immo Sanchez addit, quod neque satisfaceret, si pateretur extasim, vel raptum, quo omnino alienaretur à sensibus. Vt tamen intersit præ- sentia humana, non requiritur, vt videat, vel audiat quæ aguntur, & fiunt, ideoque etiam cæcus, & surdus obligantur præcepto, & pos- sunt illi satisfacere.

2. Quæritur secundo, vtrum requiratur, vt sit in eo loco, in quo licet non videat, vide- re tamen possit.

Respondeo, quod vniuersaliter non re- quiritur. Qui enim in magna frequentia po- puli adest post columnam, ex qua impeditur, ne possit videre, vel audire, tamen potest morali-

ter adesse, & satisfacere præcepto. Sed in hoc standum iudicio prudentum, à quibus statuendum est, vtrum aliqua presentia sit moralis, vel non sit moralis, puta, quando- nam qui audit, aut videt ex fenestra, sit præ- sens moraliter, vel non sit præsens morali- ter.

3. Quæritur tertio, an qui tempore missæ confiteretur sacramentaliter, sit moraliter præ- sens missæ.

Respondeo negatiue, vt contra aliquos docet Suarius disp. 82. sect. 6. & alij, quos se- quitur Cardinalis de Lugo disput. 22. sect. 2. num. 22. Ratio est, quia cum actio confiten- di ex se excludat attentionem ad actionem sa- crificandi, ex se excludit presentiam moralem requisitam ad sacrificium.

4. Quæritur quarto, vtrum requiratur in- tentio audiendi missam?

Respondeo affirmatiue, vt docet Cardi- nalis de Lugo num. 23. Ratio est, quia ad presentiam moralem requiritur, vt quis mor- aliter offerat cum sacerdote; sed vt morali- ter offerat, requiritur intentio offerendi; er- go &c. Hinc sequitur, quod si quis adit sine vlla intentione offerendi, sed purè vt expectet amicum, non satisfacit præcepto. E conuer- so qui vult missam audire, illique esse mora- liter præsens ex fine malo, satisfacit præcepto, quia verè habet intentionem assistendi mora- liter missæ. Demum sequitur, quod qui vult audire missam, satisfacit præcepto, etiam si præ- ceptum ignoret. Ratio est, quia cum mora- liter assistat missæ, & habeat intentionem assi- stendi, facit rem præceptam, ac proinde satis- facit præcepto.

5. Quæritur quinto, vtrum, & quæ atten- tio requiratur ad satisfaciendum præcepto de audienda missa?

Respondeo duplicem esse attentionem, aliam externam, aliam internam. Externa consistit in negatione distractionis externæ, hoc est alicuius negotij, vel occupationis ex- ternæ, quæ ex se debeat mentem diuultere ab auditione missæ. Interna consistit in applica- tione interna mentis ad missam, quæ assignari solet triplex. Primo infima ad verba sola. Se- cunda melior ad sensum verborum. Tertia optima ad effectum, hoc est ad Deum, & res diuinas contemplandas.

6. Hoc supposito, prima sententia Sua- rij, Vasquez, Soti, Sanchez, & aliorum, quos refert Cardinalis de Lugo disput. 22. sect. 2. docet requiri attentionem etiam internam, adeo- que peccatum mortaliter, qui voluntariè notabili tempore distractiones internas admit- teret. Secunda sententia Durandi, S. Anto- nini, Syluestri, & aliorum, quos refert, & sequitur Cardinalis de Lugo disput. 22. sect. 2. num. 27. docet sufficere attentionem exter- nam, adeoque non peccatum mortaliter eum, qui toto tempore, vel notabili parte temporis, quo audit sacrum, vel recitat horas canonicas, distractiones internas admitteret.

7. Dicendum: ad satisfaciendum præcepto de audienda missa, non solum requiritur attentio externa, sed etiam interna, adeoque, seu voluntariè, seu inuoluntariè quis habeat notabili tempore euagationem mentis incompoffibilem cum interna attentione, non satisfacit præcepto. Probat: ex dictis enim num. 4. ad satisfaciendum præcepto assistendi sacro, recitandi horas canonicas &c. requiritur intentio assistendi sacro, recitandi horas canonicas; sed hæc intentio saltem debet esse virtualis, iuxta dicta quæst. 78. de sacramentis in genere; ergo requiritur intentio saltem virtualis; sed ex dictis ibidem intentio virtualis debet remanere in aliqua memoria confusa sui, & in aliquo actu confuso voluntatis, quo volumus facere actionem externam propter finem ante intentum, puta volumus manere in templo propter finem audiendi missam, vo-

lumus exercere actionem externam recitandi officium, ex fine orandi; ergo requiritur illa memoria confusa; sed illa est aliqua attentio interna; ergo requiritur attentio interna; ergo omnis euagatio mentis incompoffibilis cum illa memoria confusa, si duret notabili tempore, impedit impletionem præcepti. Euagatio autem mentis non impediens illam memoriam confusam, non impedit impletionem præcepti. Videtur verò hic modus explicandi conciliare utramque sententiam. Nam neque auctores primæ sententiæ negant sufficere attentionem consistentem in illa memoria confusa, qua audiens missam, & recitans horas canonicas, recordatur intentionis præhabitiæ; neque auctores secundæ sententiæ negant requiri illam internam attentionem. Et hæc de eucharistia.

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

QVÆ